PA 4037
.V4
Copy 1

PA 4037
.V4
Copy 1

REGIA POTESTAS QVAE FVERIT SECVNDVM HOMERVM.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

CONSENSV ET AVCTORITATE AMPLISSIMI
PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CVM VITEBERGENSI
CONSOCIATA

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE IMPETRANDOS

H. XII

POSTRIDIE IDVS IVLIAS A. MDCCCLXVII
VNA CVM THESIBVS

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

ALBERTVS EDMVNDVS VECKENSTEDT
VEHLITZIENSIS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:
C. BILKE, CAND. PHIL.
A. DAHL, DR. PHIL.

HALAE
FORMIS HENDELIIS.

PA 4037
.V4

F. VOGELIO

C. LEUIO

MAGISTRIS DOCTISSIMIS HVMANISSIMIS

CARISSIMIS.

REGIA POTESTAS
QVAE FVERIT SECVNDVM HOMERVM.

Quae fuerit apud Graecos tempore heroico regia potestas cum in disceptationem vocatum sit a multis viris doctis, non mirum est usque ad hoc tempus inter contrarias sententias non esse diiudicatum. Carmina enim homerica, ex quibus solis cognitionem illius temporis haurimus, non primum statum populi exorientis civilem proponunt, sed condicionem rerum publicarum et privatarum, quae cum non unius poetae ingenio excogitata videatur, prorsus remota esse potest a vero. Contra sane sentiunt, pristinum illum statum bene perspici posse, ei qui Wolfii coniecturas probant et secundum Lachmannum Iliadem et Odysseam contextam esse ex variis carminibus popularibus putant. Haud enim dubium est quin illa carmina si popularia essent, verum tantum in conspectu positura essent. Ex natura artis poeticae enim res ipsae tantum carminibus popularibus proponi videntur animumque poetarum rebus ipsis adeo occupari censemus, ut illi nihil fere de suo addant. Quae popularia carmina omnia cum elegantiores quoque homines, quamvis aliena sint a perfecta formarum pulchritudine, rerum vi atque potentia vinciant, haud dubie laude dignissima sunt, sed si perfectionis laudem sibi vindicare possunt, brevia tantum poemata esse debent, quae cum unica animi temperatione accurate sint condita, artem tamen multarum rerum perfecte componendarum non exhibent. Ut Hispani atque Arabes Hispanienses cum multorum versuum carmina ex tempore condiderunt, praeclaros aliquot locos fervore poetico ad summum perduxerunt, numquam totum carmen bene composuerunt, ut Eddae poemata atque Suecorum carmina popularia eiusdem sunt habitus. Homeri vero carmen utrumque ita uno animo, ita eadem cogitatione

est perceptum, ut neque eae quae inter se pugnant res minores neque interpolationes probare ullo modo possint, non poetam unum condidisse Iliadis carmen non unum poetam Odysseam. (Ersch und Gruber, Encykl. Bergk, Griech. Litt. S. 320—330.)

Est autem componendi ars summa atque summi tantum artifices et carmina epica et fabulas bene componunt; ut inter pictores Raphael summus componendi artifex sit habendus, ut Michelangelus pictores Germanos recte reprehendat, quod non possint tabulas sive imagines pingendas componere, ut Germanorum poetae epici non felicius artem colant: nam Wolframii Eschenbachiensis Parcival et Godofredi Argentoratensis Tristan et Isolt, quamquam omnibus laudibus sunt extollendi, non tamen fabulas bene compositas exhibent, quippe quae consueto more ab Adamo initium capiant: atque Gudrun, carmen nostrum, tria certe hominum genera tangit. Quam poetarum artem inferiorem optime iam Aristoteles vituperat in libro de arte poetica, cap. XXIII, §. 3.

Ac Lachmannus quoque in epistola ad Lehrsium missa (Friedländer, die hom. Kritik von Wolf bis Grote, prooem. in pag. VIII) illam facultatem, unitatem poeticam epopeiarum veluti de Achillis ira vel Ulixis reditu eligendi in animum et arte et intellectu egregium quadrare, optime dicit; quam unitatem simpliciore poetarum epicorum aetate non a poeta confici sed fabula ipsa animis omnium, quibus singula sint tradita, iniici docet. Sed quod eius rei exemplum Niblungiadem tantum profert, perperam egit cum quaestio de illo ipso carmine sit instituta. Nec minus recte Lachmannianam argumentandi rationem secutus Arminius Koechly editis Iliadis carminibus sedecim „scholarum in usum“ meliorem viam munire studuit eis qui rectam fabulae seriem sequi volunt: attamen quaecunque exhibuit non ad suam sententiam probandam verum ad poetae artem illustrandam pertinent.[1]

Poetam igitur certum quendam quod Ilias prodit atque alium ingenii mitioris Odyssea[2] et diversitatem rerum multarum inde nasci fa-

[1] Tanti autem momenti res est, ut si Lachmanni rationem secuti essemus, hoc nostrum opusculum prorsus aliter exarandum fuisset, quippe in quo ad explicandam potestatem regiam usi simus plus quadringentis locis, quorum magnam partem respuere deberemus si virum doctissimum sequeremur: ex Iliadis carmine enim altero et nono centum et triginta locos sumsimus, quorum maximam partem spuriam ille habet libello, cui inscripsit: Betrachtungen über Homers Ilias. 2. Aufl. S. 11. 12. 13. Mit Zusätzen von M. Haupt. S. 102. 104.

[2] Neque tamen dum hanc Bergkii sententiam probamus, omnia eius argumenta se-

cile perspicimus; nec miramur in diversissimas sententias eos viros doctos abiisse, qui de republica homerica egerunt, ut facile hoc quoque loco quis dicat, rem quae sit perspici non posse. Nam profecto ubi verum non per se intelligitur ut omnes cogantur inter se consentire, ex natura animi humani homines suas ipsi cogitationes easque alias aliis temporibus rebus subiiciunt. Rem vero dubiam rempublicam homericam quoque esse cum facile appareat, regiam potestatem liceat paucis attingere diversissime explicatam.

Itaque iam ex antiquissimis temporibus non deerant, qui regiam dignitatem atque potestatem optimam regendae civitatis formam haberent et ad suam sententiam dictis summorum virorum firmandam Homeri versibus uterentur II 204, 4:

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω
εἷς βασιλεὺς ᾧ ἔδωκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω.

(7 Reden vom Jahr 1851. Dr. C. Heiland, p. 115, 116. [3])

Regiam potestatem ex illis versibus dei gratia existere, prae ceteris Naegelsbachius professus (C. E. v. Naegelsbach, hom. Theol. II. Aufl. §. 45) potestatem docet regi non magis a populo esse tributam quam hero a liberis; eamque regem non pacto [4] vel creatione sed a Iove ipso accepisse; quam sententiam non solum apud poetam interdum legi, sed inveni etiam poetam huius auctoritatis sibi conscium compluribus locis illam sententiam ex thesauris doctrinae suae proferentem (er hat über dieselbe ein mehrfach theoretisch sich aussprechendes Bewusstsein 5. Abschn. §. 45.) Contrariam fere de potestate regia sententiam Schoemannus est professus. Legimus enim haec (Griech. Alterthümer, Bd. 1.

---

quimur veluti quae dixit de poetis sive vatibus homericis (in historia litterarum graecarum p. 323) contra quae comparandi sunt Iliadis loci III 54; IX 186—8, 194; XVIII 604, 493, 569; XXIV 720; I 472, 603; II 595—600; XIII 637 (731); III 393; VII 241: X 13: XXII 391; XXIV 63.

[3] Quos ipsos versus Schoemannus quidem de duobus vel pluribus unius civitatis regibus intellexit, quorum quis primus atque summus sit non appareat; alii de multis viris nobilibus potestate ornatis non optime rem publicam regentibus — quorum malum imperium Aristoteles (Pol. IV, 4, 4) exponit homines saepe expertos esse — Lachmannus vero cum Hauptio eiecit versus II 194—7, 203—205 (Betrachtungen über Hom. Ilias von K. Lachmann, 2. Aufl. S. 12) neque negari potest, nimium cogitationis de rebus publicis his versibus contineri. (E. Curtius, Griech. Gesch. 1. Bd. p. 124.)

[4] Sed 24, 483 ab ipso Iove dicta legimus

ὅρκια πιστὰ ταμόντες ὁ μὲν βασιλευέτω αἰεί —

2. Aufl. p. 25.) De regis ratione vivendi atque eius consuetudine cum nobilibus atque populo, singula non multum extant; ea quae inveniuntur probant regem esse primum inter pares. Ab his prorsus alienam Aristoteles in optimo illo libro de civitate scripto sententiam proposuit. Regia enim potestas tempore heroico secundum Aristotelem manavit ex fonte diversissimo, civium voluntate. Pol. III 9, §. 7:

Τέταρτον δ' εἶδος μοναρχίας βασιλικῆς αἱ κατὰ τοὺς ἡρωικοὺς χρονους ἑκούσιαί τε καὶ πάτριαι γιγνόμεναι κατὰ νόμον· διὰ γὰρ κ. τ. λ. — — ἐγίγνοντο βασιλεῖς ἑκόντων καὶ τοῖς παραλαμβάνουσι πάτριοι et Pol. III 10, §. 1. *Βασιλείας μὲν οὖν εἴδη ταῦτα, τέτταρα τὸν ἀριθμόν, μία μὲν ἡ περὶ τοὺς ἡρωικοὺς χρόνους — — — αὕτη δ' ἦν ἑκόντων μέν, ἐπί τισι δ' ὡρισμένοις· στρατηγὸς γὰρ ἦν καὶ δικαστὴς ὁ βασιλεύς, καὶ τῶν πρὸς τοὺς θεοὺς κύριος.* [5]

Sed necesse est reipublicae ipsius finem anquiramus, quo melius ad Homericam definiendam pervenire possimus. Aristoteles autem summus fere omnium qui de republica scripserunt, optime ex natura hominum praeclarissime docet civitatis fundamenta iaci his verbis Pol. I 1, §. 9: *φανερὸν ὅτι τῶν φύσει ἡ πόλις ἐστί, καὶ ὅτι ἄνθρωπος φύσει πολιτικὸν ζῷον.*

Quocum consentit Hegelius (Grundlinien der Philosophie des Rechts, Ges. Werke, Band 8, S. 116, 117.) „Rationi est consentaneum hominem vivere in republica et si nulla respublica sit, ratio poscit ut eius fundamenta iaciantur" — et ipsum Aristotelem ingenii acumine vincit summo dicto: „Aetate recentiori multum respublica profecit ut nunc

---

[5] Quae sententiarum diversitas quomodo ex ipso carmine fluere potuerit, exemplum proferamus. Ex Odysseae carminis loco 6, 7—10 regem omnia efficere apud Phaeaces colligas

ἔνθεν ἀναστήσας ἄγε Ναυσίθοος θεοειδὴς
— — — —
ἀμφὶ δὲ τεῖχος ἔλασσε πόλει καὶ ἐδείματο οἴκους
καὶ νηοὺς ποίησε θεῶν καὶ ἐδάσσατ' ἀρούρας.

Alia vero docent 13, 210—12 secundum quos versus apud Phaeacum principes summa protestas videtur fuisse

Φαιήκων ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες,
σΰ μ' εἰς ἄλλην γαῖαν ἀπήγαγον, ἦτε μ' ἔφαντο
ἄξειν εἰς Ἰθάκην εὐδείελον, οὐδ' ἐτέλεσσαν·

atque Ulixes a rege et omni populo, ut redire sibi liceret, petierat 8, 156, 7.

νῦν δὲ μεθ' ὑμετέρῃ ἀγορῇ νόστοιο χατίζων
ἧμαι, λισσόμενος βασιλῆα τε πάντα τε δῆμον·

sit sibi finis per se.“ (Compar. F. Hegelii Encyclop. der philos. Wissenschaften 4. Aufl. ed. C. Rosenkranz. §. 549 S. 484.)

Fundamenta igitur civitatis contra Thucydidis sententiam qui rempublicam esse censuit societatem humanam a praedonibus et piratis cives suos defendentem, cum Aristotele et cum Hegelio posita esse in ingenio humano invenimus, ita ut ipsa respublica sit finis per se. Reipublicae autem initium quod cognosci possit, capimus ex eo tempore quo homines desierint circumvagari ferarum modo, ut quieti non solum ad iura privata, quibus vitam securam reddant, sed etiam agro colendo accedere cogantur ad bonorum possessionem. Nec sane ex rationibus huius terrae in qua vivimus, ipsa vita humana seiungenda est, ut necesse sit mores eodem modo leniantur et colantur atque agri. Coniunctum enim cum agricultura est matrimonium. Incepta autem agricultura nullius finis vita cessat quod bona possessa res familiaris fiunt. Itaque, quod homines non ignorant multa sibi esse parata, quae asservare studebunt suis, bonorum suorum cura, familiarum amore, certis institutis atque privato et publico iure utentur. Quae praeclaris verbis Odysseae poeta ex intuitione animi quadam sibi innata docuit Cyclopum civitatem describens 9. 106—9:

Κυκλώπων δ' ἐς γαῖαν ὑπερφιάλων ἀθεμίστων
ἱκόμεθ', οἵ ῥα θεοῖσι πεποιθότες ἀθανάτοισιν
οὔτε φυτεύουσιν χερσὶν φυτὸν οὔτ' ἀρόωσιν,
ἀλλὰ τὰγ' ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτα πάντα φύονται.

Nam ubi agri culti sunt nulli etiam leges esse nequeunt, cum familiae seiunctae vivant.

9. 112—115:

τοῖσιν δ' οὔτ' ἀγοραὶ βουληφόροι οὔτε θέμιστες,
ἀλλ' οἵγ' ὑψηλῶν ὀρέων ναίουσι κάρηνα
ἐν σπέσσι γλαφυροῖσι, θεμιστεύει δὲ ἕκαστος
παίδων ἠδ' ἀλόχων, οὐδ' ἀλλήλων ἀλέγουσιν.

Sed multum nostra interesse videtur num Odysseae de Cyclopibus narrationibus, num cogitationibus philosophorum expositis fidem quandam historicam poterimus adiicere, repetendam ex rerum publicarum origine et populorum incunabulis. Quis enim dubitabit quin omnes gentes sanscriticae, quae unam originem permultis rebus produnt, reipublicae quoque fundamenta pariter iecerint? En apud Phaeaces duo-

decim reges inveniuntur, quorum princeps summus tredecimus est, ut Odinum circumdatum reperimus duodecim Gothorum principibus. (Compar. H. Leo Lehrbuch der Universalgesch. S. 363 Bd. 1 der 3. Aufl.) Similiter ea quae Tacitus libro de Germania exposuit illustrandae illi primi Graecorum temporis condicioni inserviunt, itemque Eddae carmine interdum Iliadis meminimus. Notissima enim illa Nestoris *ἥδυεπής, λιγὺς Πυλίων ἀγορητής*

vel Agamemnonis II. 23, 21

Εὖδεις Ἀτρέος υἱὲ δαίφρονος ἱπποδάμοιο
οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα

optime conveniunt cum carmine Eddae septimo, qua haec legimus

Hildolf heisst er
Der rathkluge Recke, der in Radseisund wohnt.

(Die Edda übers. und mit Erläuterungen von K. Simrock. p. 50 str. 8.)

Neque mirum. Ut enim animalium domesticorum nomina inter se consentiunt apud populos indogermanos, sic etiam frumentorum variorum, ut verisimile sit aratrum notum fuisse atque agriculturam iam ante id tempus viguisse quo gentes sunt seiunctae, quamquam fertur

Βουζύγης ὁ πρῶτος βοῦς ὑπὸ ἄροτρον ζεύξας.

Cum igitur indogermanorum populorum proavi iam agriculturae studuerint, necesse est instituta quaedam publica et certum reipublicae statum apud eosdem valuisse, id quod ex aliquot nominibus huc pertinentibus apparet. Itaque in Vedis ubi multa bella enumerantur, dâsa vox significat hostem et servum, *δεσπότης* apud Graecos servorum dominum. [6]

Regis autem nomen reperimus (secundum Kuhn et Leo Meyer) in voce linguae sanscritae râjan, quacum consentit verbum latinum rêx goth. reiks, ir. riogh righ, vall. ri. — nam G. Curtium non possumus sequi, qui vocem latinam regis derivari dicit ex radice sanscritica ṛg' arg'-â-mi ṛ-n̄-g'-ê, graece *ὀρέγ-ω, ὀρέγν-μι* (Gr. Etymol. I p. 154 et

---

[6] Aliam enim rationem sagacius a G. Curtio excogitatam non probamus, qui cum illam vocem eandem esse ac *δεσι-ποτη-ς* Bindeherr (Grundzüge der gr. Etymol. 1. Th. N. 377. p. 248) docuerit potueritque adiicere Anglicum illud „husband," non habebit nos sequentes.

II p. 313 ubi legimus in voce latina rêx duas fortasse radices diversas „splendendi atque regendi“ inesse; atque falsa Mommsenii vocis explicatio Röm. Gesch. I. 2. Aufl. S. 59.

Corporis vero vires permultum valuisse ad adipiscendam summam regis potestatem haec docent: *κράτος* vocis significatio non est seiungenda a *κρείσσων* (ex *κρατίων*) *κράτιστος*, *κρατέω* quae verba vim vel robur significant, ut vox xatra et robur et virum ex secta bellatorum, khsatra regem in lingua zendica. Atque pater familias sive rex familiaris in his linguis eodem modo nominatur, nam gr. *ποσι-ς* et sct. pa-ti-s est dominus, coniux, et goth. fath-s dominus; ex verbis compositis autem goth. hunda-faths significat centurionem, sct. viç-pati hominum dominum sive regem (G. Curtius I. p. 132.) lith. wiẽzpatis terrae dominum, ipsum deum tantum et regem secundum Schleicherium, viç-paiti dominum vici (Quibuscum consentit G. Curtius I p. 247, 48).

Nec minus *ποιμὴν λαῶν* seiungendus est ab illa Vedarum voce gopâ; prima enim verbi significatio est bubulci-si licet Vergilii voce uti-, altera eum qui praesidio est alicui significat, praesertim deum tutelarem, postremo rex ipse vocatur gopâ (Kuhn apud Weber, indische Studien Bd. I.)

Qua re primis regis et reipublicae exorientis fundamentis cognitis aggrediamur ad rem nostram ipsam.

Aristoteles libro citato regiam potestatem heroicae aetatis his describit Pol. III. 9. §. 7:

κύριοι δ' ἦσαν τῆς τε κατὰ πόλεμον ἡγεμονίας καὶ τῶν θυσιῶν, ὅσαι μὴ ἱερατικαί, καὶ πρὸς τούτοις τὰς δίκας ἔκρινον.

Quibus muneribus alii velut Schoem. I p. 28. Naegelsb. hom. Theol. p. 284 id addunt ut reges concionem convocent, convocatae praesint.

Reges igitur exercituum duces erant.

Legimus in Iliade IX 69:

Ἀτρεΐδη σὺ μὲν ἄρχε σὺ γὰρ βασιλεύτατος ἐσσι

neque alia II 344, 5:

Ἀτρείδη σὺ δ' ἔΘ' ὡς πρὶν ἔχων ἀστέμφεα βουλὴν
ἄρχευ Ἀργείοισι κατὰ κρατερὰς ὑσμίνας.

et ipse Achilles ab Agamemnone petit ut exercitum ad pugnam adhortetur XIX 68, 9:

ἀλλ' ἄγε θᾶσσον
ὄτρυνον πολεμόνδε καρηκομόωντας Ἀχαιούς.

Ulixes Cephallemum dux erat II 631:

αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς ἦγε Κεφαλλῆνας μεγαθύμους

et Aiax navibus suis praeerat II 557:

Αἴας δ' ἐκ Σαλαμῖνος ἄγεν δυοκαίδεκα νῆας

Achilles Myrmidonum quinquaginta navibus II 684, 5:

Μυρμυδόνας δὲ καλεῦντο καὶ Ἕλληνες καὶ Ἀχαιοὶ
τῶν αὖ πεντήκοντα νεῶν ἦν ἀρχὸς Ἀχιλλεύς.

Alia exempla vid. II 527, II 536 540, 1. II 581 586, II 591 601, II 603 609, II 638, II 653 4, II 671, II 695 704, II 711 713 4, II 756, II 816, II 819 20, II 824 26 7, II 835 7, II 846.

Quam ob causam reges saepe vocantur ὄρχαμοι velut 4, 291:

Ἀτρείδη Μενέλαε διοτρεφὲς ὄρχαμε λαῶν.

Populi autem omisso duce alium quem imperatorem flagitant ut Philoctetae turmae II 726:

οὐδὲ μὲν οὐδ' οἱ ἄναρχοι ἔσαν, πόθεόν γε μὲν ἀρχόν

aut Protesilai II 703; neque Myrmidones irato Achille pugnam committunt cum Troianis II 686, 7:

ἀλλ' οἵγ' οὐ πολέμοιο δυσηχέος ἐμνώοντο
οὐ γὰρ ἔην ὅστις σφιν ἐπὶ στίχας ἡγήσαιτο

qui Achilles, Achivorum dux fortissimus magnas res gesserat 3, 106.

Ipsi autem reges inter primos pugnabant XII 315—9:

τῷ νῦν χρὴ Λυκίοισι μέτα πρώτοισιν ἐόντας
ἕσταμεν ἠδὲ μάχης καυστείρης ἀντιβολῆσαι
ὄφρα τις ὧδ' εἴπῃ Λυκίων πύκα θωρηκτάων.
οὐ μὰν ἀκληεῖς Λυκίην κατὰ κοιρανέουσιν
ἡμέτεροι βασιλῆες κ. τ. λ.[7]

---

[7] Quibus versibus falsa Naegelsbachii sententia deprehenditur, qui ducum munus ob eam causam propriam vocaverat fortitudinem, quod reges ipsorum virtute proelium decernerent ex Il. XVI 541, 2:

κεῖται Σαρπηδὼν Λυκίων ἀγὸς ἀσπιστάων
ὃς Λυκίην εἴρυτο δίκῃσί τε καὶ σθένει ᾧ

V 643, ubi Tlepolemus in Sarpedonem invehitur his verbis

In ipsos reges populorum quoque gloria, quam in pugna sunt adepti, transfertur XVI 270, 1:

ἀνέρες ἔστε φίλοι μνήσασθε δὲ θούριδος ἀλκῆς
ὡς· ἂν Πηλείδην τιμήσομεν κ. τ. λ.

Deinde regum est pugnantes collocare, disciplina igitur et ars militaris. Quam ob causam Graecorum duces comparantur cum bubulcis qui greges mixtos secernunt II 476, 7:

ὣς τοὺς ἡγεμόνες διεκόσμεον ἔνθα καὶ ἔνθα
ὑσμίνηνδ' ἰέναι

atque Iris Troianorum ducibus ut praesint ipsorum viris acie instructa imperat II 805, 6:

τοῖσιν ἕκαστος ἀνὴρ σημαινέτω οἷσί περ ἄρχει,
τῶν ἐξηγείσθω κοσμησάμενος πολίτας

ut Hector deprehenditur XIV 388

Τρῶας δ'αὖθ' ἑτέρωθεν ἐκόσμει φαίδιμος Ἕκτωρ.

Nestor vero haec II 362, 3:

κρῖν' ἄνδρας κατὰ φῦλα κατὰ φρήτρας Ἀγαμέμνων
ὡς φρήτρη φρήτρηφιν ἀρήγῃ, φῦλα δὲ φύλοις

et IV. 293, 4:

ἔνθ' ὅγε Νέστορ' ἔτετμε, λιγὺν Πυλίων ἀγορητὴν
οὓς ἑτάρους στέλλοντα καὶ ὀτρύνοντα μάχεσθαι

singula autem de hac arte militari leguntur in versibus 297 — 300 eiusdem libri; in Iliadis rhaps. XVII Thrasymedes et Antilochus non cum amicis de mortuo Patroclo pugnant v. 381, 2:

τὼ δ'ἐπιοσσομένω θάνατον καὶ φύζαν ἑταίρων
νόσφιν ἐμαρνάσθην, ἐπεὶ ὡς ἐπετέλλετο Νέστωρ.

Nec solus Nestor sed etiam Aiax artem militarem exercet adhortans exercitum et cetera imperans XVII 356 – 59:

σοὶ δὲ κακὸς μὲν θυμὸς, ἀποφθινύθουσι δὲ λαοί

atque confert Achillis dictum quod nihil probat I 344:

ὅππως οἱ παρὰ νηυσὶ σόοι μαχέοντο Ἀχαιοί

Sarpedo enim Glauco tantum dixerat

τῷ νῦν χρὴ Λυκίοισι μέτα πρώτοισιν ἐόντας
ἔστημεν κ. τ. λ.

Αἴας γὰρ μάλα πάντας ἐπώχετο πολλὰ κελεύων ν . . . .
οὔτε τινὰ προμάχεσθαι Ἀχαιῶν ἔξοχον ἄλλων
ἀλλὰ μάλ' ἀμφ' αὐτῷ βεβάμεν, σχεδόθεν δὲ μάχεσθαι.
ὣς Αἴας ἐπέτελλε πελώριος κ. τ. λ.

Ad quam rem quarti quoque Iliadis libri versus 220—421, totius igitur libri pars quae vocatur *Ἀγαμέμνονος ἐπιπώλησις*, spectant, ubi Agamemno Achivorum catervas obit, Idomenei alacritatem laudans, Aiacis, Nestoris aliorum ut Menesthei Ulixis Diomedis cunctationem reprehendens.

Sed sine dubio fines hujusce muneris regii in bello ob eam quoque causam latissime patuerunt quod in rebus bellicis omnibus temporibus maxima vis ac disciplina necessaria fuit. Quam ob rem non miremur quod Aristoteles Agamemnoni vitae necisque vim tribuit quam ipsi non invenimus apud Homerum. Aristoteles autem haec Pol. III. 9. 2: *ὁ γὰρ Ἀγαμέμνων κακῶς μὲν ἀκούων ἠνείχετο ἐν ταῖς ἐκκλησίαις, ἐξελθόντων δὲ καὶ κτεῖναι κύριος ἦν· λέγει γοῦν*

Ὃν δέ κ' ἐγὼν ἀπάνευθε μάχης — — — οὔ οἱ
Ἄρκιον ἐσσεῖται φυγέειν κύνας ἠδ' οἰωνούς·
Πὰρ γὰρ ἐμοὶ θάνατος.

quae eisdem fere verbis legimus in Iliadis libro II 391—3 ommissu versu

πὰρ γὰρ ἐμοὶ θάνατος.

Itaque Diomedes, qui in contione vehementer in Agamemnonem invehitur, nihil regi ipsum vituperanti respondet IV 401, 2:

τὸν δ' οὔτι προσέφη κρατερὸς Διομήδης
αἰδεσθεὶς βασιλῆος ἐνιπὴν αἰδοίοιο.

Attamen cavendum mihi videtur, ne cum Lessmanno celerrimam Ulixis iustitiam qua plebem sceptro percutit II 198, 9:

ὃν δ' αὖ δήμου τ' ἄνδρα ἴδοι βοοώντά τ' ἐφεύροι,
τὸν σκήπτρῳ ἐλάσασκεν ὁμοκλήσασκέ τε μύθῳ

huc pertinere putemus, nam rerum perturbatio prorsus aliena est etiam a rebus bellicis (Lessmann, de dignitate regia, qualis secundum Homerum viguit aetate homerica. Paderb. 1828.) Praeterea Humpert quidem (de civitate Homerica, Bonn 1839) regum proprium esse dicit certamen suscipere singulare, exemplo utens Il. libri VII. At illo loco non reges existunt ut pugnent contra Hectorem, sed

Νέστωρ δ' Ἀργείοισιν ἀνίστατο (v. 123)

et invehitur in fortissimos (v. 159):

ὑμέων δ' οἷπερ ἔασιν ἀριστῆες Παναχαιῶν

itaque Gracci Iovem rogant (v. 179, 180):

Ζεῦ πάτερ ἢ Αἴαντα λαχεῖν ἢ Τυδέος υἱὸν
ἢ αὐτὸν βασιλῆα πολυχρύσοιο Μυκήνης.

Nestor etiam aliud exemplum affert certaminis singularis quo ipse non pugnat quod rex sit sed Il. VII 152, 3:

ἀλλ' ἐμὲ θυμὸς ἀνῆκε πολυτλήμων πολεμίζειν
θάρσεϊ ᾧ· γενεῇ δὲ νεώτατος ἔσκον ἁπάντων.

Ereuthalio autem in certamen vocaverat omnes fortissimos v. 150, VII:

— — — προκαλίζετο πάντας ἀρίστους.

Neque melius nobis videntur ea quae regum propria sunt ab illo exposita affirmante bellatores fortissimos ac plurimos circum regem versatos esse. Iliadis enim libri II versus 576 et q. seq., quibus Agamemnonis classis ditissima atque comites fortissimi describuntur, in alias partes spectant.

Alterum regum munus Aristoteles significaverat hisce verbis:

(κύριοι) καὶ τῶν θυσιῶν ὅσαι μὴ ἱερατικαί.

Publicorum autem sacrificiorum exempla, ubi sacerdotes non commemorantur, invenimus in Odysseae libro 3, 5—9 ubi Nestor cum suis in publicis epulis et sacris Neptuno faciendis occupatus proponitur

τοὶ δ' ἐπὶ θινὶ θαλάσσης ἱερὰ ῥέζον,
ταύρους παμμέλανας, ἐνοσίχθονι κυανοχαίτῃ

et q. seq.

In libro Od. 13 rex Alcinous, cui soli a patre fata imminentia erant praedicta, petit a Iove salutem non solum sibi sed etiam populo. Quam ob causam illud sacrificium habendum est publicum. Legimus autem 13, 181—3:

Ποσειδάωνι δὲ ταύρους
δώδεκα κεκριμένους ἱερεύσομεν, αἴ κ' ἐλεήσῃ,
μηδ' ἡμῖν περίμηκες ὄρος πόλει ἀμφικαλύψῃ.

Ipse Agamemno, regum rex ut ita dicamus, priusquam Graeci

primam ineunt pugnam, coram in principum praesentia II 406—10 sacra facit II 411.

τοῖσιν δ' εὐχόμενος μετέφη κρείων Ἀγαμέμνων

et cum Graeci et Troiani foedus ferire studeant, sacrificia ipse peragit III 271—3:

Ἀτρεΐδης δὲ ἐρυσσάμενος χείρεσσι μάχαιραν
ἣ οἱ πὰρ ξίφεος μέγα κουλεὸν αἰὲν ἄωρτο
ἀρνῶν ἐκ κεφαλέων τάμνε τρίχας κ. τ. λ.

Tum verisimile est, sacrificium publicum fuisse in Iliade enarratum, in quo Oineus Calydonius rex Dianae oblitus ceteris diis atque deabus messis sacra (θαλύσια) facit IX 534—6:

Ἄρτεμις
χωσαμένη ὅ οἱ οὔτι θαλύσια γουνῷ ἀλωῆς
Οἰνεὺς ῥέζ' · ἄλλοι δὲ θεοὶ δαίνυνθ' ἑκατόμβας,
οἴῃ δ' οὐκ ἔρρεξε Διὸς κούρῃ μεγάλοιο.

Quibus sacrificiis non adiicienda sunt sacra domestica sive privata. Sicut nemo fere sine religione esse potest, antiqui populi, qui aberant a nostra scientia, et precibus et sacrificiis necesse est deos in omni vita semper sibi conciliare studuisse. Itaque sexcenties sacrificia in Homeri carminibus enumerantur. Quare regis Pelei sacrificium, qui filium carissimum cum amico Troiam mittit (IX 772—790) et Nestoris cum filiis domi peractum 3, 418—29 non tam regium est quam patris familias. Neque tamen omnino cum Schoemanno, qui sacrificandi munus regibus secundum Aristotelem tantum tribuit, regem dicimus sacra publica peragere eodem modo quo familiarum pater familias peregerit (Gr. Ant. p. 33.) Immo vero etiam posterius tempus, quo potestas regia saepius afflicta erat, hoc munus, hanc dignitatem regibus servavit.[8]

Neque alia res est apud Romanos (Mommsen, Roem. Gesch. II. Aufl. 1. Bd. p. 227.) Quae res, exemplis carminum homericorum quae attulimus perspectis, haud dubie probant rectam esse Aristotelis sententiam ex qua regibus munus sacrorum θυσιῶν ὅσαι μὴ ἱερατικαί est tribuendum.

---

[8] Vid. E. Curt. gr. Gesch. I 252. K. F. Hermann, Lehrb. der gr. Staatsalterth. 1841, §. 5 sub finem Nr. 11 et §. 56 sub finem Nr. 9; quibus locis ab Hermanno citatis Herodoteis confer annotationes quas suae editioni H. Stein adiecit Ber. 1857. imprimis ad librum IV cap. 161.

Tertium regis munus Aristoteles hoc modo significavit:

(πρὸς τούτοις) τὰς δίκας ἔκρινον.

Itaque Sarpedo Lycios non solum fortitudine servaverat sed etiam munere iudicis XVI 541, 2.

κεῖται Σαρπηδὼν Λυκίων ἀγὸς ἀσπιστάων
ὃς Λυκίην εἴρυτο δίκῃσί τε καὶ σθένεϊ ᾧ.

et Agamemnoni Iuppiter iura dederat IX 98, 99.

λαῶν ἐσσὶ ἄναξ καί τοι Ζεὺς ἐγγυάλιξεν
σκῆπτρον τ' ἠδὲ θέμιστας ἵνα σφίσι βουλεύῃσθα.

Omittimus similem versum 206 libri II Iliadis, quem spurium habemus quippe qui ex nostro videatur manasse. (vid. annot. ed. Faes.)

Sed restat ut quaeramus num rex solus sit habendus iudex. Amplissimus atque notissimus enim locus ex quo qui facta sit iurisdictio, cognoscimus, iudices nobis proponit sententiam dicentes, non regem iudicem XVIII 407—506. Alio vero loco Od. 12, 439, 40 Ulixes narrat:

ἦμος δ' ἐπὶ δόρπον ἀνὴρ ἀγορῆθεν ἀνέστη
κρίνων νείκεα πολλὰ δικαζομένων αἰζηῶν

qua re Naegelsbachius putat coniici fortasse recte licere regem solum fuisse iudicem. Attamen audacius videntur disputata quae non firmioribus nituntur fundamentis, non enim alius locus II 184—6:

Τηλέμαχος τεμένεα νέμεται καὶ δαῖτας ἴσας
δαίνυται, ἃς ἐπέοικε δικάσπολον ἄνδρ' ἀλεγύνειν·
πάντες γὰρ καλέουσι

quamvis Ameisius annotationem addat „de rege usurpatum cuius potissimum munus est iurisdictio“ (Ameis, Homers Odyssee, Leipz. 1856, Bd. I. Heft 2 p. 128) nos certiores facit, cum omnia de primorum vel procerum quodam intelligenda sint. In lite enim amplius descripta legimus XVIII 502:

οἱ δὲ γέροντες
ἧατ' ἐπὶ ξεστοῖσι λίθοις ἱερῷ ἐνὶ κύκλῳ

et v. 506:

τοῖσιν ἔπειτ' ἦισσον ἀμοιβηδὶς δὲ δίκαζον

et Achilles sceptrum esse in manibus iudicum dicit I 237—9:

νῦν αὖτέ μιν υἷες Ἀχαιῶν
ἐν παλάμῃς φορέουσι δικασπόλοι, οἵτε θέμιστας
πρὸς Διὸς εἰρύαται

nec XXIII vers. 513, 4:

ἀλλ' ἄγετ' Ἀργείων ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες
ἐς μέσον ἀμφοτέροισι δικάσσατε, μηδ' ἐπ' ἀρωγῇ

probant reges tantum esse intelligendos, quod primores saepissime ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες nominantur. Viris deinde iudicibus Iuppiter irascitur, qui falso res diiudicant XV 386—8:

Ζεὺς-ὅτε δή ῥ' ἄνδρεσσι κοτεσσάμενος χαλεπήνῃ
οἵ βίῃ εἰν ἀγορῇ σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας,
ἐκ δὲ δίκην ἐλάσωσι.

Quam ob causam ex coniectura tantum licet verum assequi. Itaque putamus, ex consueto more reges ita se dedisse iurisdictioni atque litibus diiudicandis — nam crimina non in civitatem cadebant — ut cum primoribus sententiam dicentibus diiudicarent, ubi res poscebant, soli primores veluti loco citato XXIII 573, 4 sive solus rex XXIII 579, 80.

εἰ δ' ἄγ' ἐγὼν αὐτὸς δικάσω καί μ' οἵτινά φημι
ἄλλον ἐπιπλήξειν Δαναῶν, ἰθεῖα γὰρ ἔσται.

Menelaus igitur controversiam quae inter ipsum regem et Antilochum exorta est, diiudicat. Regum autem iustitiam inter summos honores esse habitam optima illa narratio declarat boni regis terram beatam describens 19, 109—114.

Sed iam diligentius exponendum est de primoribus sive principibus quos vidimus non esse seiungendos a regibus.

Probaverant loci quos attulimus, principes cum regibus ius dicere fortasse pariter ac reges ipsos, nam in 12 libri v. 439, 40 citatis vir nobis significare videtur principem. Neque alia res est apud Hesiodum, qui in op. et dieb. principes, quos βασιλῆας primores significare nemo ignorat, introducit ius dicentes

v. 38, 39, 261:

μέγα κυδαίνων βασιλῆας
δωροφάγους, οἵ τήνδε δίκην ἐθέλουσι δικάσσαι.

Optime autem hymnus in Cererem praeter officium iudiciale principum munera profert his verbis (150—2)

ἀνέρας, οἵσιν ἔπεστι μέγα κράτος ἐνθάδε τιμῆς
δήμου τε προὔχουσιν ἰδὲ κρήδεμνα πόληος
εἰρύαται βουλῇσι καὶ ἰθείῃσι δίκῃσιν.

Atque ipsum nomen declarat principes in bello duces fuisse. Saepius enim legimus ut in libro II v. 79;

Ἀργείων ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες

sive XVI 164:

τοῖοι Μυρμιδόνων ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες

et XVI 533:

Λυκίων ἡγήτορες ἄνδρες

et 7, 186:

κέκλυτε Φαιήκων ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες

sicuti apud Pylios principes duces tantum vocantur XI 681:

οἱ δὲ συναγρόμενοι Πυλίων ἡγήτορες ἄνδρες
δαίτρευον

et Ulixes fabulans narrat se regi obedire noluisse ipsumque ducem sociorum exstitisse 13 265, 6:

οὕνεκ' ἄρ' οὐχ ᾧ πατρὶ χαριζόμενος θεράπευον
δήμῳ ἔνι Τρώων, ἀλλ' ἄλλων ἦρχον ἑταίρων.

Sacrificiorum deinde munus ad reges solos pertinere studuimus probare neque tamen principes omnino seiungendi sunt quippe qui ordinem secundum occupantes cum Alcinoo a Neptuno, ut ipsorum misereat precentur 13 185—7:

ὣς οἱ μέν ῥ' εὔχοντο Ποσειδάωνι ἄνακτι
δήμου Φαιήκων ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες
ἑσταότες περὶ βωμόν·

et Hector Troianorum principes ut cum virorum pugnam parantium feminis deos orent, est rogaturus VI 113—15.

Restat ut de potestate principum, quae conspicitur in ipsorum conciliis, iudicemus. Atque re vera nihil magis contra eam sententiam pugnat, ex qua rex libera voluntate et potentia existere dicitur, ut rex reddatur tyrannus Asiaticus, quam eius in conciliis imago.

Concilium autem convocatur a rege aut ab ipsis principibus. Nihil certi colligitur ex 2, 26:

οὔτε ποθ' ἡμετέρη ἀγορὴ γένετ' οὔτε θόωκος

ab Agamemnone concilium vocatur IX 89:

Ἀτρείδης δὲ γέροντας ἀολλέας ἦγεν Ἀχαιῶν
ἐς κλισίην

et X 194, 5 principes evocantur:

τοὶ δ' ἅμ' ἕποντο
Ἀργείων βασιλῆες ὅσοι κεκλήατο βουλήν.

Hector cum Troianorum principibus concilium init X 414, 5:

Ἕκτωρ μὲν μετὰ τοῖσιν, ὅσοι βουληφόροι εἰσὶν
βουλὰς βουλεύει θείου παρὰ σήματι Ἴλου.[9]

et cum Achille deliberant Achivorum primores XXIV 650—2. Nausicae autem patri occurrit a regibus vel principibus Phaeacum in concilium vocato 6, 53—55:

τῷ δέ Θύραζε
ἐρχομένῳ ξύμβλητο μετὰ κλειτοὺς βασιλῆας
ἐς βουλήν, ἵνα μιν κάλεον Φαίηκες ἀγαυοί[10]

Principes suo iure concilia inibant. Achilles enim legatis, qui ipsi

---

[9] W. E. Gladstone (Homerische Studien [A. Schuster] Leipz. 1863) audacius quam quem sequamur Troianorum concilium omnino exstitisse negat. P. 408, 416, 7.

[10] Probat noster quoque locus optime, *κλειτοὺς βασιλῆας* idem valere ac *Φαίηκας ἀγανούς* itaque Phaeacum principes alio loco 8, 41 *σκηπτοῦχοι βασιλῆες* nominantur neque aliis locis quidquam interest inter nomina principum atque regum velut XX 83, 4

Αἰνεία Τρώων βουληφόρε, ποῦ τοι ἀπειλαὶ
ἃς Τρώων βασιλεῦσιν ὑπέσχεο οἰνοποτάζων,

quos reges principes esse probat Iliadis locus III 146—153 ubi *Τρώων ἡγήτορες* (153) nominatim proferuntur, qui (v. 149) *δημογέροντες* vocantur et (150, 1) *ἀγορηταὶ ἐσθλοί*.

Ulixis pater, qui rex Cephallenum vocatur 24, 378 *Κεφαλλήνεσσιν ἀνάσσων ἥρως* nominatur 24, 134:

Λαέρτῃ ἥρωι ταφήιον

et Antinous rex 24, 179:

βάλε δ' Ἀντίνοον βασιλῆα.

Ipse quoque Agamemno non alio nomine appellatur 24, 24, 5:

Ἀτρείδη περὶ μέν σ' ἔφαμεν Διὶ τερπικεραύνῳ
ἄνδρων ἡρώων φίλον ἔμμεναι ἦματα πάντα

et utrumque nomen legitur 24, 87—9.

Praeterea compar. I 176; 7, 303; 11, 628, 9; 14, 335, 6; 18, 64, 5; 21, 346, 7. I 144, 5; V 217, 311; XIII 463; V 633; XII 319, 413, 4; VII 106; XXIV 403, 4; 1, 125—7; 16, 122—4.

missi erant, ut Achaeorum proceribus nuntiarent se conciliari non posse cum Agamemnone, imperat ius quoddam principibus tribuens IX 421, 2:

ἀλλ' ὑμεῖς μὲν ἰόντες ἀριστήεσσιν Ἀχαιῶν
ἀγγελίην ἀπόφασθε· τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ γερόντων.

Itaque saepius legati, qui foedus feriant, pacem incant, bella indicant mittuntur vel accipiuntur a concilio, a principibus. Ulixes est missus 21, 17:

μετὰ χρεῖος, τό ῥά οἱ πᾶς δῆμος ὄφελλεν

a patre et a principibus 21, 21:

πρὸ γὰρ ἧκε πατὴρ ἄλλοι τε γέροντες

et Aetolorum nobiles Meleagrum ut sibi opem ferat, rogant multa pollicentes IX 574:

τὸν δὲ λίσσοντο γέροντες
Αἰτωλῶν

et v. 576:

ὑποσχόμενοι μέγα δῶρον

Agamemno autem Nestore auctore IX 70 concilium vocat IX 89 ut de legatis ad Achillem mittendis deliberent principes; itaque Pyliorum duces qui praedam Eleam dividunt principes sunt habendi XI 687, 8:

οἱ δὲ συναγρόμενοι Πυλίων ἡγήτορες ἄνδρες
δαίτρευον.[11]

Itaque recte interpretari videntur qui Troianorum primorum ius iurandum significari volunt Iliadis carminis versu 119 libri XXII

Τρωσὶν δ' αὖ μετόπισθε γερούσιον ὅρκον ἕλωμαι

(I. H. Voss, Uebers. der Ilias. I. H. I. Koeppen, Anmerkungen zum Homer, 2. Aufl. 6. Band, gefertigt von H. Krause, p. 93. Schoemann I p. 26.)

Quibus concessis vinum quoque principum fuisse non negabimus, nam Alcinous primores alloquitur 13, 8 et 9:

ὅσσοι ἐνὶ μεγάροισι γερούσιον αἴθοπα οἶνον
αἰεὶ πίνετ' ἔμοισιν

[11] Quam ad magnam vim principum conciliorum probandam conferenda sunt quae Hector dicit XV 720—3.

(vid. annotat. edit. Ameis. atque Faes.) Similia IV 259 (vid. Koeppen, Anm. Bd. 1. p. 282 [qui addit „ähnliche Ideen lagen bei unserem Ehrenwein zum Grunde“] Schömann, p. 28. Anm. I.)

Conciliorum autem alius quoque finis sine dubio erat. Permultis enim in rebus non reges soli ut quid fiat, non principes cum regibus imperant, sed populus quoque ad deliberandum adhibetur. Quam ob causam ex ipsarum rerum natura videtur esse effectum, cum in magnis concionibus voluntatem atque concilium difficile sit explicare, ut principum concilium saepius is coetus fuerit,[12] in quo coetu antea res deliberarentur atque destinarentur. Cuius sententiae exemplum luculentissimum habemus narrationem concilii atque concionis in libro Iliadis carminis secundo. Agamemno enim praecones ut populum ad contionem vocarent, emiserat II 52:

οἱ μὲν ἐκήρυσσον τοὶ δ' ἠγείροντο μάλ' ὦκα

sed antea concilium init II 53:

βουλὴν δὲ πρῶτον μεγαθύμων ἷζε γερόντων.

Contionem vocare vocatae praeesse regum erat officium ex Schoemanni aliorumque sententia.

In concilium non solum rex principes vocaverat sed etiam principes regem. Neque solus rex contionem habet. Regem autem Agamemnonem praecones ad populum vocandum misisse legimus II 50, 1 atque idem Agamemno IX 10, 11:

φοίτα κηρύκεσσι λιγυφθόγγοισι κελεύων
κλῆδην εἰς ἀγορὴν κικλήσκειν ἄνδρα ἕκαστον.

Itaque Ulixes comitum concionem constituit 10, 188; 12, 319:

καὶ τότ' ἐγὼν ἀγορὴν θέμενος μετὰ πᾶσιν ἔειπον.

Sed ipsa prima concio, quam carmen nostrum describit, a principe quodam; ab Achille est vocata I 54:

τῇ δεκάτῃ δ' ἀγορήνδε καλέσσατο λαὸν Ἀχιλλεύς[13]

---

[12] Novem primorum apud Achivos II 404 — 8, duodecim regum apud Phaeaces 8, 390, 1 — qui reges (7, 49, 50) saepissime vocantur *ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες* ut 7, 136; 8, 26, 97, 387, 536 praeter quos et apud Achivos et apud Phaeaces multi alii principes erant. —

[13] Qui certe, quamquam se ipsum parem nominat Agamemnoni XVI 53:

ὀππότε δὴ τὸν ὁμοῖον ἀνὴρ ἐθέλῃσιν ἀμέρσαι

Deinde comparanda est concionis celeberrimae descriptio, quae contio ab ipso Achille vocatur XIX 40—46; Ithacensium concionem Telemachus Ulixe absente vocat 2, 6, 7; et Antinous 16, 376, 7. Neque solum principibus sed unicuique ut concionem vocaret videtur permissum fuisse et sua ipsius causa et ad rempublicam ab hostibus defendendam et ob alias res ad populum pertinentes 2, 28—32:

νῦν δὲ τίς ὧδ' ἤγειρε; τίνα χρειὼ τόσον ἵκει
ἠὲ νέων ἀνδρῶν ἢ οἱ προγενέστεροί εἰσιν;

et q. seq.

Itaque non pro nihilo est habendus locus Odysseae extremus qui quamvis non antiquissimus sit, tamen quod consentit cum loco citato libri secundi, ex more certe illius temporis docet Ithacenses sua sponte, postquam Fama per urbem venerit, ad concionem ivisse 24, 420:

αὐτοὶ δ' εἰς ἀγορὴν κίον ἀθρόοι ἀχνύμενοι κῆρ.

Quibus in concionibus principes multum semper valuisse verisimile est. Ipse Agamemno principes tantum compellat in concione IX 17:

ὦ φίλοι Ἀργείων ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες

et in celeberrima contione ab Achille vocata legimus XIX 78:

ὦ φίλοι ἥρωες Δαναοὶ θεράποντες Ἄρηος.

Ipsa Minerva ut principes in concionem vocet Telemacho suadet 1. 272, 3:

αὔριον εἰς ἀγορὴν καλέσας ἥρωας Ἀχαιοὺς
μῦθον πέφραδε πᾶσι

quae concio ut in altero libro narratur ab unoquoque viro populari frequentatur.

Neque tamen colligendum mihi videtur, nulli populari unquam permissum fuisse loqui in concione, ex irati Ulixis dicto in maxima rerum perturbatione II 200, 201:

δαιμόνι' ἀτρέμας ἧσο καὶ ἄλλων μῦθον ἄκουε
οἳ σέο φέρτεροί εἰσι.

---

non par est habendus secundum Nestorem I 277, 8, 9:

μήτε σὺ Πηλείδη, θέλ' ἐριζέμεναι βασιλῆι
ἀντιβίην, ἐπεὶ οὔποθ' ὁμοίης ἔμμορε τιμῆς
σκηπτοῦχος βασιλεύς.

Iliadis enim locus XII 211—15:

οὐδὲ ἔοικεν
δῆμον ἐόντα παρὲξ ἀγορεύεμεν

virum de plebe ob eam potissimum caussam, si stulte vel inique proferat orationem vituperat, atque Thersites non ideo videtur vapulare quod loquitur sed quod indigne in reges invehitur; attamen ipsi Graeci Ulixem laudibus vel summum eius factum praedicant, quod hominem maledicum tacentem reddiderit II 274, 5:

νῦν δὲ τόδε μέγ' ἄριστον ἐν Ἀργείοισιν ἔρεξεν
ὃς τὸν λωβητῆρα ἐπέσβολον ἔσχ' ἀγοράων.[14]

Concioni autem, cui ipsa Iustitia dea praeest 2, 68, 69:

ἕλίσσομαι — — — — Θέμιστος,
ἥτ' ἀνδρῶν ἀγορὰς ἠμὲν λύει ἠδὲ καθίζει

summa vis tribuenda est. Non enim sola foedera ineunda, pactiones faciendae ad concilium spectant. Ulixes et Menelaus cum sceptro proponuntur loquentes in Troianorum concione propter Helenam III 206: σεῦ ἕνεκ' ἀγγελίης et XI 139—41; quae Idaeus responsa referat ab Achivis, quem miserant de induciis ineundis, Troiani in concione expectant VIII 414—6:

οἱ δ' ἕατ' εἰν ἀγορῇ Τρῶες καὶ Λαρδανίωνες
πάντες ὁμηγέρεες, ποτιδέγμενοι ὅπποτ' ἄρ' ἔλθοι
Ἰδαῖος

et Achilles cum Agamemnone in gratiam redit coram in concione XIX 34, 5; 45; 65—69; 172—4.

Itaque magnus quoque honor ex concione repetitur I 490, 1

οὔτε ποτ' εἰς ἀγορὴν πωλέσκετο κυδιάνειραν
οὔτε ποτ' ἐς πόλεμον·

et alia vox ornandi causa adiicitur 2, 150:

ἀλλ' ὅτε δὴ μέσσην ἀγορὴν πολύφημον ἱκέσθην.

Quam ob causam Nestor summe laudatur, qui melle dulcius (I 249) loquebatur I 248:

---

[14] Sed omnino noster vir popularis (Ernst Curtius gr. Gesch. I p. 124) nobili genere natus, — erat enim Agrii filius, cuius pater est Portheus rex Calydonius XVI 115—7 — in nobilium numero est habendus, itaque ab Ulixe vocatur λιγὺς περὶ ἐὼν ἀγορήτης II 246.

Νέστωρ — ἡδυεπὴς ἀνόρουσε, λιγὺς Πυλίων ἀγορήτης·

et oratoris summa laus legitur 8, 170—4:

θεὸς μορφὴν ἔπεσι στέφει, οἱ δέ τ' ἐς αὐτὸν
τερπόμενοι λεύσσουσιν, ὁ δ' ἀσφαλέως ἀγορεύει
αἰδοῖ μειλιχίῃ, μετὰ δὲ πρέπει ἀγρομένοισιν
ἐρχόμενον δ' ἀνὰ ἄστυ θεὸν ὡς εἰσορόωσιν.

Praeterea vid. 3, 127; III 224: VII 125, 6. Alia quae contionandi magnam laudem cum ipsis bellis componunt, saepius leguntur velut IX 440, 1:

νήπιον - οὔπω εἰδόθ' ὁμοιίου πολέμιοι
οὐδ' ἀγορέων, ἵνα τ' ἄνδρες ἀριπρεπέες τελέθουσιν

et 443:

μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι πρηκτῆρά τε ἔργων

Deinde vid. XVIII 105, 6; XVIII 252; XV 282—4; II 370; IV 399, 400; XVI 630; 4, 818; 16, 418—20.

Quam ad vim atque gravitatem concionis probandam, quae heroicis iam temporibus latissime[15] patuit, consideranda sunt fora, ubivis, in unaquaque civitate certa atque fixa. Phaeacum enim forum Nausicae describit Ulixi 6, 266, 7:

ἔνθα δὲ τέ σφ' ἀγορὴ καλὸν Ποσιδήιον ἀμφις
ῥυτοῖσιν λάεσσιν κατωρυχέεσσ' ἀραρυῖα·

quod in urbem introductus admiratur 7, 43, 4:

θαύμαζεν δ' Ὀδυσσεὺς — — —
αὐτῶν θ' ἡρώων ἀγορὰς καὶ τείχεα μακρά
κ. τ. λ.

Quo de Phaeacum foro comparanda sunt quae leguntur 8, 5; 8, 11, 12, 16, 17; Neque aliud Ithacensium forum videtur fuisse 2, 13, 4:

τὸν δ' ἄρα πάντες λαοὶ ἐπερχόμενον θηεῦντο·
ἕζετο δ' ἐν πατρὸς θώκῳ, εἶξαν δὲ γέροντες·

deinde 16, 361, 2; 17, 52, 3; 20, 361, 2 aliis locis. Laestrygonum autem occurrit 10, 114. Troianorum in forum, quod ubi sit legimus II 788:

οἱ δ' ἀγορὰς ἀγόρευον ἐπὶ Πριάμοιο θύρῃσιν
πάντες ὁμηγερέες, ἠμὲν νέοι ἠδὲ γέροντες

---

[15] Compar. Gladstone (Schuster) 320 imprimis 328, 9.

equus Achivorum est admotus 8, 502, 3:

τοὶ δ' ἤδη — — —
εἵατ' ἐνὶ Τρώων ἀγορῇ κεκαλυμμένοι ἵππῳ·

atque certum quoddam Troianorum forum probat Il. locus VII 345.

Itaque non miramur Achivos Troiam decem annos obsidentes concionibus certum locum, forum igitur sibi elegisse XI 806—8:

ἀλλ' ὅτε δὴ κατὰ νῆας Ὀδυσσῆος θείοιο
ἶξε θέων Πάτροκλος, ἵνα σφ' ἀγορή τε θέμις τε
ἦην, τῇ δὴ καί σφι θεῶν ἐτετεύχατο βωμοί — — —

Neque tamen forum magis valebat quam concio, quae, si fieri necesse erat, aliis quoque locis habebatur, ut concio Troianorum bellum ante urbem gerentium VIII 489, 90; XVIII 245; Achivorum VII 381—3.

Res quomodo in concione peractae sint, de Germanis Taciti quoque narratio videtur docere cap. 11 Germaniae (ed. Iac. Grimm.) „Ut turbae placuit considunt armati — — Mox rex vel princeps, prout aetas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur auctoritate suadendi magis quam iubendi potestate. Si displicuit sententia fremitu aspernantur, sin placuit, frameas concutiunt."

Atque re vera Graecorum quoque sedentium, XVIII 245—7, (E. Curtius, gr. Gesch. p. 124) videtur fuisse vel assentando acquiescere in principis vel regis contionabundi sententia, vel contra illos tumultuari. Legimus enim VII 403 et IX 50:

ὣς ἔφαθ' οἱ δ' ἄρα πάντες ἐπίαχον υἷες Ἀχαιῶν
μῦθον ἀγασσάμενοι

Similia II 333, 394 et VIII 542; XVIII 310:

ὣς Ἕκτωρ ἀγόρευ' ἐπὶ δὲ Τρῶες κελάδησαν.

Interdum tacentes quoque assentabantur velut I 22, 3:

ἔνθ' ἄλλοι μὲν πάντες ἐπευφήμησαν Ἀχαιοὶ
αἰδεῖσθαι θ' ἱερῆα κ. τ. λ.

saepius autem re explicata, sententia certe a tacentibus probata concio mittitur nulla re praeterea addita a poeta ut IX 79 VII 379:

ὣς ἔφαθ' οἱ δ' ἄρα τοῦ μάλα μὲν κλύον ἠδ' ἐπίθοντο

deinde I 304, 5; II 807, 8; II 381 et 394; VIII 530 et 542; VII 367 et 378; XVIII 245 et 310; XIX 276; 2 257.

Neque ullo momento concionis vis diminuitur, si non omnibus locis additum est, quod populus voluerit; nam non solum Germanorum est fremitu aspernari: Thersites invehitur in Agamemnonem II 243:

ὣς φάτο νεικείων Ἀγαμέμνονα, ποίμενα λαῶν

atque Ithacenses non consentiunt cum principe Halitherse 24, 463, 4:

ὣς ἔφαθ' οἱ δ' ἄρ' ἀνήιξαν μεγάλῳ ἀλαλητῷ
ἡμισέων πλείους

et quibus non placet Odysseae extrema pars, hi legunt 3, 149, 50:

οἱ δ' ἀνόρουσαν ἐυκνήμιδες Ἀχαιοὶ
ἠχῇ θεσπεσίῃ, δίχα δέ σφισιν ἥνδανε βουλή.

Hector autem Polydamanti dicit non fore ut Troiani ipsi obediant XVIII 295, 6, id quod ratum faciunt XVIII 312, 3; neque Ithacenses oratorem sequuntur 24, 465, 6:

οὐ γάρ σφιν ἅδε μῦθος ἐνὶ φρεσὶν ἀλλ' Εὐπείθει
πείθοντ' · αἶψα κ. τ. λ.

Luculentum denique locum de populi libera voluntate praebet Odysseae contio 3, 137—185, licetque versibus citatis adiicere 3, 150:

δίχα δέ σφισιν ἥνδανε βουλή

itaque 3, 155—7:

ἥμίσεες δ' ἄρα λαοὶ ἐρητύοντο μένοντες
αὖθι παρ' Ἀτρείδῃ Ἀγαμέμνονι, ποιμένι λαῶν
ἥμίσεες δ' ἀναβάντες ἐλαύνομεν — — —

vide imprimis versus 3, 162—3, 165, 6, 7.

Vehementer Myrmidones in ipsum Achillem invectos esse in contione legimus XVI 202, 3 et 207:

μ' ἠτιάασθε ἕκαστος·
σχέτλιε Πηλέος υἱὲ, χόλῳ ἄρα σ' ἔτρεφε μήτηρ
νηλεές κ. τ. λ.
ταῦτα μ' ἀγειρόμενοι θάμ' ἐβάζετε — — —

Populi igitur potestatem in concionibus novimus neque tamen his finibus potentia popularis est circumscripta. Nam non multum abest

quin Troiani invehantur in Paridem et secundum Hectorem non modo haec fieri poterant, sed etiam populus quod non invectus sit in Paridem, ab eo vituperatur his verbis III 56, 7:

ἀλλὰ μάλα Τρῶες δειδήμονες· ἦ τέ κεν ἤδη
λάϊνον ἕσσο χιτῶνα κακῶν ἕνεχ' ὅσσα ἔοργας.

Nestor et Ulixes quaerunt ex Telemacho num inferior evadat quod homines ipsum oderint 3, 214, 5 et 16, 95, 6:

εἰπέ μοι ἠὲ ἑκὼν ὑποδάμνασαι ἦ σέγε λαοὶ
ἐχθαίρουσ' ἀνὰ δῆμον·

et Antinous pertimet ne homines sibi morem non gerant 16, 375:

λαοὶ δ' οὐκέτι πάμπαν ἐφ' ἡμῖν ἦρα φέρουσιν·

ab Antinoi patre ipse Ulixes populum prohibuerat 16, 428—30:

τόν ῥ' ἔθελον ῥῆξαι καὶ ἀπορραῖσαι φίλον ἦτορ
ἠδὲ κατὰ ζωὴν φαγέειν μενοεικέα πολλήν.
ἀλλ' Ὀδυσσεὺς κατέρυκε καὶ ἔσχεθεν ἱεμένους περ

et Pisistratus Nestoris filius indignatur, quod Telemachus, qui eum tueantur patre absente non habeat 4, 166, 7:

οὐδέ οἱ ἄλλοι
εἰσ' οἵ κεν κατὰ δῆμον ἀλάλκοιεν κακότητα.

Gravissima quoque semper habetur fama popularis 14, 238, 9

οὐδέ τι μῆχος
ἦεν ἀνήνασθαι χαλεπὴ δ' ἔχε δήμου φῆμις.

(compar. VI 350, 1.[16])

Reges autem qui populo domi bellique in omnibus fere rebus praeerant (6, 196, 7:

θυγάτηρ μεγαλήτορος Ἀλκινόοιο,
τοῦ δ'ἐκ Φαιήκων ἔχεται κάρτος τε βίη τε)

divites erant, itaque Ulixis divitiae laudibus ornantur 14, 96—98:

---

[16] Ac de hac populari fama quantum vel Graecorum antiquissimi temporis mores adiuverit vid. K. F. Hermann 8, 23. Naegelsb. VI, 17. Praeterea compar. Gladstone (Schuster) S. 342, 343.

ἦ γάρ οἱ ζωή γ' ἦν ἄσπετος· οὔτινι τόσση
ἀνδρῶν ἠρώων, οὔτ' ἠπείροιο μελαίνης
οὔτ' αὐτῆς Ἰθάκης[17]

atque a populo ditiores reddebantur. Quam ob causam in concione Telemachus haec 1, 392, 3:

οὐ μὲν γάρ τι κακὸν βασιλεύεμεν· αἶψα τε οἱ δῶ
ἀφνειὸν πέλεται καὶ τιμηέστερος αὐτός.

Itaque Sarpedo ob eam causam amicum Glaucum hortatur ut fortis sit, quod ut ipse multa a populo acceperit XII 310, 1 et 3:

Γλαῦκε τίη δὴ νῶϊ τετιμήμεσθα μάλιστα
ἕδρῃ τε κρέασίν τ' ἠδὲ πλείοις δεπάεσσιν
— — — —
καὶ τέμενος νεμόμεσθα κ. τ. λ.

quod honorati sint et epulis et praedio regio. Quod praedium regium emolumentorum potestatis regiae summum videtur fuisse. Nausicae Ulixi patris praedium describit 6, 293:

ἔνθα δὲ πατρὸς ἐμοῦ τέμενος τεθαλυῖά τ' ἀλώη

Ulixis praedium memoratur 17, 298, 9 et 11, 185 vel praedia Ulixis nominantur:

Τηλέμαχος τεμένη νέμεται.

Populus autem praedia novo regi praebet ut Bellerophonti VI 194, 5:

καὶ μέν οἱ Λύκιοι τέμενος τάμον ἔξοχον ἄλλων
καλὸν φυταλίης καὶ ἀρούρης, ὄφρα νέμοιτο

et ob maiorem quandam fortitudinem ut principes Meleagro praedium pollicentur, qui ipsos conservet IX 578:

ἔνθα μιν ἤνωγον τέμενος περικαλλὲς ἑλέσθαι.

Sed legimus loco citato Sarpedonem non solum praedia regis emolumenta habere sed etiam epulas, quibus populus regem honorat. Neque alia de Diomede sunt scripta VIII 161, 2:

---

[17] Quid divitiae valeant Aristoteles non ignorat qui causam nobilitatis divitias esse dicit Pol. IV 6, 5 *ἡ γὰρ εὐγένειά ἐστιν ἀρχαῖος πλοῦτος καὶ ἀρετή* (et V. 1, 3.)

Τυδείδη περὶ μέν σε τίον Δαναοὶ ταχύπωλοι
ἔδρῃ τε κρέασίν τ' ἠδὲ πλείοις δεπάεσσιν.

Quae emolumenta si populus non sua sponte praebebat, rex et sibi et aliis poscere poterat, ut Hector — qui sine dubio magis Troianorum potestatis regiae partes agit quam ipse Priamus — XVII 225, 6:

τὰ φρονέων δώροισι κατατρύχω καὶ ἐδώδῃ
λαούς — — —

et similia fingit Ulixes 19, 197, 8:

δημιόθεν ἅλφιτα δῶκα καὶ αἴθοπα οἶνον ἀγείρας
καὶ βοὺς ἱρεύσασθαι.

Quam ob causam non mirabimur, regem a populo petere quae expensa habuerit, ut Alcinous 13, 14, 5:

ἡμεῖς δ' αὖτε ἀγειρόμενοι κατὰ δῆμον
τισόμεθ' · ἀργαλ. κ. τ. λ.

vel populum quae rex expensa habuerit redditurum se esse promittere ut I 127, 8:

ἀλλὰ σὺ μὲν νῦν τήνδε θεῷ πρόες · αὐτὰρ Ἀχαιοί
τριπλῇ τετραπλῇ τ' ἀποτίσομεν —

Dona autem et voluntaria et, si recte interpretamur *θέμιστες*, destinata et fixa (secundum Schoem. p. 35. Koeppen, erklär. Anm. III. Bd. p. 20) tertium lucrum potestatis regiae sunt habenda ex Il. libro IX 154—6:

ἐν δ' ἄνδρες ναίουσι πολύρρηνες πολυβοῦται,
οἵ κέ ἑ δωτίνῃσιν[18] θεὸν ὡς τιμήσουσιν,
καί οἱ ὑπὸ σκήπτρῳ λιπαρὰς τελέουσι θέμιστας.

Deinde 23, 357.

---

[18] Aliam vero explicationem nostrorum versuum, ex qua *δωτῖναι* intelligendae sint „vernacule von den Sporteln der Rechtspflege" (Gladstone [Schuster] P. 298) non possumus probare. Neque melius argumentis atque duobus incertis exemplis — contra quae compar. luculentissimus Odysseae locus 15, 415—484 — firmata videntur, quae auctor idem (P. 297, 298) protulit de donis, quae mercatores peregrini regibus praestare debuerint, ideoque de fructu regio ob immunem mercaturam accepto.

Quibus emolumentis veluti certis atque fixis addenda est praeda hostilis. Permultum sane haec aliquid acquirendi ratio valere debet, ubi populi de iure sibi hostes sunt.[19]

Praedarum autem possessionem populi concedunt regi, quas praedas distribuat. Achilles omnia dederat Agamemnoni IX 331—3:

πάντα φέρων Ἀγαμέμνονι δόσκον
Ἀτρεΐδῃ· ὁ δ' ὄπισθε μένων παρὰ νηυσὶ θοῇσιν
δεξάμενος διὰ παῦρα δασάσκετο, πολλὰ δ' ἔχεσκεν.

At liberum praedae arbitrium Schoemannus regi ex hoc loco vindicare non vult, quod iratus Achilles fortasse modum excedat, sed eadem dicit Agamemno Teucro VIII 289—91:

πρώτῳ τοι μετ' ἐμὲ πρεσβήιον ἐν χερὶ θήσω
ἢ τρίποδ' ἠὲ δύω ἵππους αὐτοῖσιν ὄχεσφιν
ἠὲ γυναῖχ' et q. s.

Neque alia Agamemno profitetur IX 128—30:

δώσω δ' ἑπτὰ γυναῖκας — —
ἃς ὅτε Λέσβον ἐυκτιμένην ἕλεν αὐτὸς
ἐξελόμην κ. τ. λ.

Deinde vid. XVI 54; I 229, 30; IX 367, 8; I 118; IX 137—9; XI 696, 7 et 703, 4; XVII 231.

Regi igitur praeda est data quam parte quadam regia arrepta (I 166, 7) distribuat aut sorte dividat 14, 232, 3:

τῶν ἐξαιρεύμην μενοεικέα, πολλὰ δ' ὀπίσσω
λάγχανον·

quam praedarum sortitionem praeterea versus quadragesimus Odysseae libri quinti probat:

λαχὼν ἀπὸ λητίδος αἶσαν.

Sed interdum distributio non a rege solo fit; in Iliadis enim libro XI v. 681, 8. Pyliorum principes occupati sunt dividenda praeda:

οἱ δὲ συναγρόμενοι Πυλίων ἡγήτορες ἄνδρες
δαίτρευον κ. τ. λ.

---

[19] Plato legg. I 625: E, *πόλεμος ἀεὶ πᾶσι διὰ βίου ξυνεχής ἐστι πρὸς ἁπάσας τὰς πόλεις.*

ita tamen ut regi maximam praedae partem tradant I 368, 9:

καὶ τὰ μὲν εὖ δάσσαντο μετὰ σφίσιν υἷες Ἀχαιῶν·
ἐκ δ' ἕλον Ἀτρεΐδῃ Χρυσήιδα καλλιπάρῃον.

Non alia XVI 56, 7 et eadem Thetis narrat XVIII 444, 5. Achilles autem ab Achaeis sibi praedam puellam datam affirmat I 162:

δόσαν δέ μοι υἷες Ἀχαιῶν

et Nestor I 275, 6:

κούρην
— — ὥς οἱ πρῶτα δόσαν γέρας υἷες Ἀχαιῶν

qui ipse Nestor, quod consilio omnes superabat, Hecameden accepit ab Achivis XI 626, 7:

Ἑκαμήδη — ἣν οἱ Ἀχαιοὶ
ἔξελον, οὕνεκα βουλῇ ἀριστεύεσκεν ἁπάντων.

Neque regi Alcinoo puella praeda a populo non est data 7, 10:

Ἀλκινόῳ δ' αὐτὴν γέρας ἔξελον

et feminas bello paratos Thersites dederat Agamemnoni II 227, 8:

γυναῖκες — — ἅς τοι Ἀχαιοὶ
πρωτίστῳ δίδομεν, εὖτ' ἂν πτολίεθρον ἕλωμεν.[20]

Quibus emolumentis, iisdem fere ac Iudaeorum regum et sine dubio plurimarum civitatum antiquarum (I. L. Saalschütz, das mosaische Recht, II. Aufl. Kap. VII, §. 7, 6) non soli reges fruuntur sed etiam nobiles. Aeneas enim praedium accepit a Troianis, id quod Achilles nos docet XX 184:

ἦ νύ τί τοι Τρῶες τέμενος τάμον ἔξοχον ἄλλων

et Ulixes ut Phaeacum principum liberi paternum praedium accipiant precatur 7, 149, 50:

---

[20] Quam ob causam dubia sane Vossii versio est Odysseae versus centesimi sexagesimi libri noni

ἐμοὶ δὲ δὸς' ἔξελον οἷῳ

vernacule „ich" nam 9 548—51 Ulixis comites ipsi cum rege praedam dividunt, regi hircum tantum veluti regium donum tradentes. Una cum rege Ulixe a populo praedarum distributio fit 9, 41, 2.

παισὶν ἐπιτρέψειεν ἕκαστος
κτήματ' ἐνὶ μεγάροισι γέρας θ' ὅτι δῆμος ἔδωκεν.

Epulis quoque non solum a principibus honorantur reges, sed etiam principes a regibus. Nestor enim Agamemnoni:

δαίνυ δαῖτα γέρουσιν

et multis locis Graecorum principes apud regem Graecorum epulantur IV 343, 4:

Πρώτῳ γὰρ καὶ δαιτὸς ἀκουάζεσθον ἐμεῖο
ὁππότε δαῖτα γέρουσιν ἐφοπλίζωμεν Ἀχαιοί.

Neque praetereunda IV 259, 60; XVII 250, 1. Nec alia inveniuntur apud Phaeaces ubi Alcinous de principibus 13, 8 et 9:

ὅσσοι ἐνὶ μεγάροισι γερούσιον αἰθόπα οἶνον
αἰεὶ πίνετ' ἐμοῖσιν, ἀκουάζεσθε δ' ἀοιδοῦ.

Telemachus quoque non quod patris regis vices gerat, sed quod princeps est, ad epulandum invitatur ab Ithacensibus 11, 186—8:

δαῖτας ἐΐσας
δαίνυται ἃς ἐπέοικε δικάσπολον ἄνδρ' ἀλεγύνειν,
πάντες γὰρ καλέουσι.

Alcinous et principes, ut populus sibi reddat ea quae Ulixi donent, consequi studet, ipsi autem nobiles a populo petunt quae Ulixi reddant 22, 55:

ἀτὰρ ἄμμιες ὄπισθεν ἀρεσσάμενοι κατὰ δῆμον
ὅσσα τοι ἐκπέποται κ. τ. λ.

et ut in ceteris rebus reges fere aequant, sic praedae quoque maiorem partem nobiles accipere invenimus. Praeterea adiiciamus locum IX 334:

ἄλλα δ' ἀριστήεσσι δίδου γέρα καὶ βασιλεῦσιν.

Quibus perspectis, ratione igitur habita et munerum et emolumentorum regiorum, iam ipsam potestatis regiae naturam ad finem perducere studeamus.

Permultae voces adiectivae, quarum magnam copiam inspicias apud Humpertum in prima dissertationis citatae parte, probant reges divinitus datos a Graecis temporis homerici haberi. Ab ipso Iove reges orti sunt et potestate et dignitate. Legimus II 197:

τιμὴ δ' ἐκ Διός ἐστι

Itaque sceptrum quod reges sibi ornamento atque honori gestant, a Iove est datum; IX 38:

σκήπτρῳ μέν τοι δῶκε τετιμῆσθαι περὶ πάντων

et IX 98, 99:

λαῶν ἐσσὶ ἄναξ καί τοι Ζεὺς ἐγγυάλιξεν
σκῆπτρον τ' ἠδὲ θέμιστας ἵνα σφισι βουλεύῃσθα.

Praeterea notissimus locus est de Agamemnonis sceptro II 100—108 neque minus II 46 et de munere regio a Iove dato I 278, 9; II 205; XVII 251; VI 159; 1, 390.

Sed illius potestatis divina origo non aliunde nobis videtur esse excogitata atque ex magnitudinis rerum maximarum perceptione naturali, quae hominum animos incorruptos maxime movet.

Permultum et rex et familia regia valet: 4, 63, 4:

ἀνδρῶν γένος ἐστὲ διοτρεφέων βασιλήων
σκηπτούχων, ἐπεὶ οὔ κε κακοὶ τοιούσδε τέκοιεν·

regina ipsa Alcinoi regis filia nominatur 6, 115:

σφαῖραν ἔπειτ' ἔρριψε μετ' ἀμφίπολον βασίλεια·

familia autem regia, fortitudine clara ut Ulixis 24, 508, 9:

μήτι καταισχύνειν πατέρων γένος, οἵ τὸ πάρος περ
ἀλκῇ τ' ἠνορέῃ τε κεκάσμεθα πᾶσαν ἐπ' αἶαν

sacrosancta habetur. Legimus 16, 401, 2:

δεινὸν δὲ γένος βασιλήϊόν ἐστιν
κτείνειν κ. τ. λ.

Qua in familia regia potestas manere solebat, itaque Telemacho regnandi spes iniicitur a Theoclymeno his verbis 15, 533, 4:

ὑμετέρου δ' οὐκ ἔστι γένος βασιλεύτερον ἄλλο
ἐν δήμῳ Ἰθάκης, ἀλλ' ὑμεῖς καρτεροὶ αἰεί.

Atque ex familia hereditarium quoddam ius existit 1, 386—7

μὴ σέγ' ἐν ἀμφιάλῳ Ἰθάκῃ βασιλῆα Κρονίων
ποιήσειεν ὅ τοι γενεῇ πατρώιόν ἐστιν.

Ad hoc familiarum ius spectare videtur quod Eurymachus Ulixis uxore in matrimonium ducta Ithacensibus imperare in animo habebat 15, 521, 2:

μέμονεν τε μάλιστα
μητέρ' ἐμὴν γαμέειν καὶ Ὀδυσσῆος γέρας ἔξειν

atque Bellerophon rex fit, cui regis filia nupserat VI 192, 3:

δίδου δ' ἔγε θυγατέρα ἣν
δῶκε δέ οἱ τιμῆς βασιληίδος ἥμισυ πάσης.

Fratre Protesilao omnium primo in bello Troiano occiso Podarces turmae est praepositus, qui iunior fratrem seniorem regem sequi videtur II 706—8:

αὐτοκασίγνητος μεγαθύμου Πρωτεσιλάου
ὁπλότερος γενεῇ· ὁ δ' ἅμα πρότερος καὶ ἀρείων.

Etiam Agamemnonis sceptrum ius hereditarium probaverat notissimo loco II 101—108 atque hereditate potestas regia apud Phaeaces est accepta 7, 61—63. Neque tamen ius hereditarium normam ex omnibus partibus fixam possumus habere. Theoclymenus enim Telemacho regnandi spem iniecerat argumento hoc usus:

ὑμεῖς καρτεροὶ αἰεί.

Neque aliud est quod Hector deos orat, ut filiolum faciant regem Troianorum VI 478—80:

(δότε)
ὧδε βίην τ' ἀγαθὸν καὶ Ἴλιον ἶφι ἀνάσσειν
καὶ ποτέ τις εἴπῃσι, πατρὸς γ' ὅδε πολλὸν ἀμείνων
ἐκ μολέμου ἀνίοντα.

Fortitudine summa Aeneas quoque sperare poterat fore ut ipse regiam potestatem a Priamo acciperet XX 179:

ἦ σέγε θυμὸς ἐμοὶ μαχέσασθαι ἀνώγει
ἐλπόμενον Τρώεσσιν ἀνάξειν ἱπποδάμοισιν
τιμῆς τῆς Πριάμου;

Quam ob causam viribus atque robore fortissimi regis semper summa res nixa fuisse videtur et apud Graecos et apud alios populos antiquissimae aetatis. (Vid. sacrorum librorum Sam. lib. I 9, 2; 10, 23; compar. Psalt. 45.)

Achilles ex Ulixe quaerit, num penes patrem senem sit regia Myrmidonum potestas 11, 495—7:

ἦ ἔτ' ἔχει τιμὴν πολέσιν μετὰ Μυρμιδόνεσσιν
ἦ μιν ἀτιμάζουσιν ἀν' Ἑλλάδα τε Φθίην τε,
οὕνεκά μιν κατὰ γῆρας ἔχει χεῖράς τε πόδας τε

neque fere aliter Ulixes matrem rogat 11, 174—6 atque Priamus Achilli narrat XXIV 487—9. Diis tum iratis fieri potest ut alius quis princeps accipiat regiam potestatem XX 306—8:

ἠδὴ γὰρ Πριάμου γενεὴν ἤχθηρε Κρονίων.
νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίη Τρώεσσιν ἀνάξει
καὶ παίδων παῖδες et q. s.[21]

Aeneas igitur Troianorum rex existet neque dubitabimus comparato loco XX 179—183 quin fortitudine potius quam quod consanguineus sit Hectoris (XX 213—40) regnum accipiat. Neque Aegisthus Agamemnone occiso consanguinitate solum rex fit sed 3, 304, 5:

δέδμητο δὲ λαὸς ὑπ' αὐτῷ
ἑπτάετες δ' ἤνασσε πολυχρύσοιο Μυκήνης.[22]

Apud Ithacenses quoque dii constituunt quis regnaturus sit 1, 400, 1:

Τηλέμαχ' ἦτοι ταῦτα θεῶν ἐν γούνασι κεῖται
ὅστις ἐν ἀμφιάλῳ Ἰθάκῃ βασιλεύσει Ἀχαιῶν

et ipse Telemachus non negat fieri posse ut multorum aliorum Ithacensium regum quis adipiscatur patris mortui potestatem 1. 394—6:

ἀλλ' ἦτοι βασιλῆες Ἀχαιῶν εἰσὶ καὶ ἄλλοι
πολλοὶ ἐν ἀμφιάλῳ Ἰθάκῃ, νέοι ἠδὲ παλαιοί,
τῶν κέν τις τόδ' ἔχῃσιν, ἐπεὶ θάνε δῖος Ὀδυσσεύς.

Quam ob causam non mirabimur, Antinoum etiam non Ulixis uxore in matrimonium ducta, regiam dignitatem appetiisse 22, 50—52:

οὔτι γάμου τόσσον κεχρημένος οὐδὲ χατίζων,
ἀλλ' ἄλλα φρονέων, τά οἱ οὐκ ἐτέλεσσε Κρονίων,
ὄφρ' Ἰθάκης κατὰ δῆμον ἐνκτιμένης βασιλεύοι.

---

[21] Cf. Vergilii versionem. Aen. III 97. 98.

[22] sive leg.

ἑπτάετες δ' ἤνασσε πολυχρύσοιο Μυκήνης
κτείνας Ἀτρεΐδην, δέδμητο δὲ λαὸς ὑπ' αὐτῷ.

Schol. Soph. El. 267.

Principum autem maximam potestatis regiae spem habent illi qui cum populo coniuncti vivunt, ut Eurymachus 15, 520:

τὸν νῦν ἶσα θεῷ Ἰθακήσιοι εἰσορόωσιν

et populus suo iure res mutat ubi dii non sint adversarii 3, 214, 5; 16, 95, 6

ἦ σέγε λαοὶ
ἐχθαίρουσ' ἀνὰ δῆμον ἐπισπόμενοι θεοῦ ὀμφῇ.[23]

Itaque legimus per se populum tantum valuisse ut etiam Telemachus libenter narret non omnem populum sibi esse iratum 16, 114:

οὔτε τί μοι πᾶς δῆμος ἀπεχθόμενος χαλεπαίνει

ut Ulixes profiteatur se a suis esse coactum 12, 297:

Εὐρύλοχ' ἦ μάλα δή με βιάζετε μοῦνον ἐόντα

ut Antinous timeat ne ipsos procos populus patria eiiciat 16, 381, 2:

μή τι κακὸν ῥέξωσι καὶ ἡμέας ἐξελάσωσιν
γαίης ἡμετέρης.

Neque Achaei ullo modo regie aut tyrannice tractantur ab Achille aut Agamemnone; XXIII 155, 6:

Ἀτρεΐδη — σοὶ γάρ τε μάλιστά γε λαὸς Ἀχαιῶν
πείσονται μύθοισι — — —

Quam ad probandam vim et gratiam populi recordemur ea quae scripsimus de concione, quibus dictis et locis citatis adiicimus 2, 239—41; 24, 546; XXIII 539, 40; IX 56; II 83; I 231, 2:

δημοβόρος βασιλεὺς ἐπεὶ οὐτιδανοῖσιν ἀνάσσεις
ἦ γὰρ ἂν Ἀτρεΐδη νῦν ὕστατα λωβήσαιο.

Sed non omnia plana sunt quae leguntur in carminibus homericis. Nam non solum dii permutandorum regum causa erant, sed etiam populi ipsi tantum valebant ut sibi alium regem crearent. Itaque saepissime legimus

οὐδὲ μὲν οὐδ' οἱ ἄναρχοι ἔσαν πόθεόν γε μὲν ἀρχόν.

Difficiliores autem res inveniuntur; duo enim vel plures duces atque

[23] Iudaeorum quoque libri sancti saepius narrant populum ex sua voluntate multa in regibus permutandis effecisse. Saalsch. 7 §. 2.

reges simul interdum existunt. Luculentissimus ad difficultates explicandas locus est II 559 et 563—67 ubi haec:

οἱ δ' Ἄργος τ' εἶχον Τίρυνθά τε κ. τ. λ.
τῶν αὖθ ἡγεμόνευε βοὴν ἀγαθὸς Διομήδης
καὶ Σθένελος Καπανῆος ἀγαλειτοῦ φίλος υἱός.
τοῖσι δ' ἅμ' Εὐρύαλος τρίτατος κίεν ἰσόθεος φῶς
Μηκιστέος υἱὸς Ταλαιονίδαο ἄνακτος.
συμπάντων δ' ἡγεῖτο βοὴν ἀγαθὸς Διομήδης.

Tres igitur duces nominantur quorum tamen primus et summus Diomedes. Itaque navium indicis locum II 645, 650 et 1:

Κρητῶν δ' Ἰδομενεὺς κ. τ. λ.
τῶν μὲν ἄρ' Ἰδομενεὺς δουρικλυτὸς ἡγεμόνευεν
Μηριόνης τ' ἀτάλαντος Ἐνυαλίῳ ἀνδρειφόντῃ

nobis explicant loci XIII 246:

Μηριόνης δ' ἄρα οἱ θεράπων ἐὺς ἀντεβόλησεν

et XIII 452, 3. Dicit enim Idomeneus

Δευκαλίων δ' ἐμὲ τίκτε πολέσσ' ἄνδρεσσιν ἄνακτα
Κρήτῃ ἐν εὐρείῃ.

Qua re perspecta non dubitabimus quin Idomeneus rex summus fuerit. Sarpedo quoque et Glaucus Lyciorum reges nominantur II 876:

Σαρπηδὼν δ' ἦρχεν Λυκίων καὶ Γλαῦκος ἀμύμων

neque differunt dignitate locis XII 310, 11 et 318, 9; sed versus XII 101—4 probant Sarpedonem magis valuisse et fortitudine et, ni fallimur, potestate

Σαρπηδὼν δ' ἡγήσατ' ἀγακλειτῶν ἐπικούρων,
πρὸς δ' ἕλετο Γλαῦκον καὶ Ἀμισωδαρον Ἀστεροπαῖον,
οἱ γάρ οἱ εἴσαντο διακριδὸν εἶναι ἄριστοι
τῶν ἄλλων μετά γ' αὐτόν ὁ δ' ἔπρεπε καὶ διὰ πάντων.

Maior deinde ducum perturbatio apud Athenienses videtur fuisse. Legimus enim II 546:

οἱ δ' ἄρ' Ἀθήνας εἶχον κ. τ. λ.

et 552:

τῶν αὖθ' ἡγεμόνευ' υἱὸς Πετεῶο Μενεσθεις

alia vero XIII 195, 6:

Ἀμφίμαχον μὲν ἄρα Στιχίος δῖος τε Μενεσθεὺς
ἀρχοὶ Ἀθηναίων κόμισαν μετὰ λαὸν Ἀχαιῶν

praeterea XV 337 (ubi Scholia sunt vid.)

Ἴασος αὖτ' ἀρχὸς μὲν Ἀθηναίων ἐτέτυκτο.

Quibus locis citatis adiicimus XIII 689–91:

ἐν δ' ἄρα τοῖσιν
ἦρχ' υἱὸς Πετεῶο Μενεσθεύς, οἱ δ' ἅμ' ἕποντο
Φείδας τε Στίχιος τε Βίας τ' ἐύς κ. τ. λ.

itaque primus et summus unus Menestheus facile apparet. Quam ob causam nostro iure dicemus Paeonum summum ducem Asteropaeum fuisse, qui cum Sarpedone et Glauco Troianorum sociorum fortissimus habetur loco citato XII 101 4. Alii enim Paeonum duces II 848:

αὐτὰρ Πυραίχμης ἄγε Παίονας ἀγκυλοτόξους

et XXI 155:

Παίονας ἄνδρας ἄγων δολιχεγχέας

qui ex versu eiusdem libri 163 cognoscitur ἥρως Ἀστεροπαῖος.

Praeterea XVII 350, 1 occurrit Apisao:

ὅς ῥ' ἐκ Παιονίης ἐριβώλακος εἰληλούθει
καὶ δὲ μετ' Ἀστεροπαῖον ἀριστεύεσκε μάχεσθαι

itaque Paeonum princeps videtur fuisse, quorum munus idem est ducere exercitum. Neque alia esse quae de Phocaeensium ducibus traduntur verisimile est. Legitur enim II 517, 8:

αὐτὰρ Φωκήων Σχεδίος καὶ Ἐπίστροφος ἦρχον
υἱέες Ἰφίτου μεγαθύμου Ναυβολιδάο

XV 515, 6 Perimedis filius Schedius dux Phocaeensium existit:

ἔνθ' Ἕκτωρ μὲν ἕλε Σχεδίον, Περιμήδεος υἱόν
ἀρχὸν Φωκήων

at XVII 306—9 Schedius Iphiti filius omnium Phocaeensium fortissimus nominatur itaque coniicere licet, eum summum regem fuisse, fratrem Epistrophum et Schedium Perimedis filium duces secundi ordinis, ipsi subiectos. Pelasgorum quoque duo fratres, Lethi filii, duces nominantur II 840:

Ἱππόθοος δ' ἄγε φῦλα Πελασγῶν κ. τ. λ.

842, 3:

τῶν ἦρχ' Ἱππόθοός τε Πύλαιός τ' ὄζος Ἄρηος,
υἷε δύω Λήθοιο Πελασγοῦ Τευταμίδαο

sed Hippothoi nomen iteratum virique fortissimi res gestae, quae narrantur XVII 217, 288 318 probant, quis re vera rex fuerit. Subiectus regi Peleo Phoenix quoque videtur fuisse qui Dolopibus imperabat IX 483, 4, quem Achilles se regem redditurum esse pollicetur IX 616.

Ex nostris carminibus si probare studuimus unum regem primum atque summum fuisse etiam aliis ducibus eiusdem populi nominatis, tamen non sequemur Schoemannum, qui hanc quasi normam et legem ubique vigentem dicit in pag. 33.[24]

Fratres enim reges duos cognoscimus ex Helenae dictis III 236—38.

δοιὼ δ' οὐ δύναμαι ἰδέειν κοσμήτορε λαῶν
Κάστορὰ Θ' ἱππόδαμον καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα
αὐτοκασιγνήτω et q. s.

Alii fratres II 729, 731, 2:

οἵ δ' εἶχον Τρίκκην κ. τ. λ.
τῶν αὖθ' ἡγείσθην Ἀσκληπιοῦ δύο παῖδε
ἰητῆρ' ἀγαθὼ, Ποδαλείριος ἠδὲ Μαχάων

neque quisquam fortiorem ideoque magis in bello vel in regnando valentem recte dicere potest.

Fratres quoque II 828, 830, 1:

Οἵ δ' Ἀδρήστειάν τ' εἶχον κ. τ. λ.
τῶν ἦρχ' Ἄδρηστός τε καὶ Ἄμφιος λινοθώρηξ,
υἷε δύω Μέροπος Περκωσίου et q. s.

atque iidem nominantur XI 329:

υἷε δύω Μέροπος Περκωσίου.

Neque fratres differunt II 864, 5:

---

[24] Quam ob causam citatam eius interpretationem versus homerici *οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη*, vernacule: „mehrere gleichberechtigte nebeneinander sah man gewiss immer als einen Uebelstand an, wie es auch Homer ausspricht" (*οὐκ ἀγ. κ. τ. λ.*) reiicimus.

Μήσσιν αὖ Μέσθλής τε καὶ Ἄντιφος ἡγησάσθην
υἷε Ταλαιμένεος

sive II 867, 870, 1:

Νάστης αὖ Καρῶν ἡγήσατο κ. τ. λ.
τῶν μὲν ἄρ' Ἀμφίμαχος καὶ Νάστης ἡγησάσθην,
Νάστης Ἀμφίμαχός τε Νομίονος ἀγλαὰ τέκνα.

Martis quoque filii duces sunt II 511—13:

οἱ δ' Ἀσπληδόνα ναῖον κ. τ. λ.
τῶν ἦρχ' Ἀσκάλαφος καὶ Ἰάλμενος, υἷες Ἄρηος
οὓς τέκεν Ἀστυόχη

et iidem IX 82 non diversa dignitate. Neque fratres Graecorum insulanorum duces non sunt II 676, 678, 9:

οἱ δ' ἄρα Νίσυρόν τ' εἶχον κ. τ. λ.
τῶν αὖ Φείδιππός τε καὶ Ἄντιφος ἡγησάσθην
Θεσσαλοῦ υἷε δύω Ἡρακλείδαο ἄνακτος.

Sed alii quoque qui non fratres sunt, quos consanguineos esse non possumus probare, duces enumerantur neque ullo modo differre videntur dignitate ut II 862:

Φόρκυς αὖ Φρύγας ἦγε καὶ Ἀσκάνιος θεοείδης

alii duo duces II 738; 740, 1; 745, 6:

οἱ δ' Ἄργισσαν ἔχον κ. τ. λ.
τῶν αὖθ' ἡγεμόνευε μενεπτόλεμος Πολυποίτης
υἱὸς Πειριθόοιο κ. τ. λ.
οὐκ οἷος, ἅμα τῷγε Λεοντεὺς ὄζος Ἄρηος
υἱὸς ὑπερθύμοιο Κορώνου Καινείδαο.

Deinde duo Thracum duces, viri fortissimi inveniuntur II 844:

αὐτὰρ Θρήικας ἦγ' Ἀκάμας καὶ Πείροος ἥρως

atque alii duo II 856, 7:

αὐτὰρ Ἀλιζώνων Ὀδίος καὶ Ἐπίστροφος ἦρχον,
τηλόθεν ἐξ Ἀλύβης

neque quis Odium esse ducem summum probare potest ex Iliadis libro V 38, 39.

Plures autem quam duo duces dignitate non diiudicata inveniuntur ut II 858:

Μυσῶν δὲ Χρόμις ἦρχε καὶ Ἔννομος οἰωνιστής

quibus duobus ducibus alius quis adiectus est XIV 511, 2:

Αἴας ῥα πρῶτος Τελαμώνιος Ὕρτιον οὖτα
Γυρτιάδην Μυσῶν ἡρήτορα καρτεροθύμων.

Atque primo navium indicis populo Boeotorum a poeta Boeotio (?) quinque duces sunt traditi II 949, 5:

Βοιωτῶν μὲν Πηνέλεως καὶ Λήιτος ἦρχον
Ἀρκεσίλαος τε Προθοήνωρ τε Κλονίος τε.

Pthiotarum duces duo nominantur XIII 693:

Πρὸ Φθίων δὲ Μέδων τε μενεπτόλεμός τε Ποδάρκης[25]

Epeorum duces non solum plures enumerantur sed etiam plures terrae, quae res ni fallimur sic intelligenda est, ut Epeos primorum temporum gentem victricem et Elidi 13, 275:

ἢ εἰς Ἦλιδα δῖαν, ὅθι κρατέουσιν Ἐπειοί

et insulis imperantem habeamus. Leguntur autem II 615, 6; 618, 9:

οἳ δ' ἄρα Βουπράσιόν τε καὶ Ἦλιδα δῖαν ἔναιον
ὅσσον ἐφ' Ὑρμίνῃ κ. τ. λ.
τῶν αὖ τέσσαρες ἀρχοὶ ἔσαν, δέκα δ' ἀνδρὶ ἑκάστῳ
νῆες ἕποντο θοαί, πολέες δ' ἐμβαινον Ἐπειοί

et duces enumerantur

Ἀμφίμαχος καὶ Θάλπιος Διώρης Πολύξεινος

Deinde XV 518, 9 Otum necant

Φυλείδεω ἕταρον, μεγαθύμων ἀρχὸν Ἐπειῶν

Atque alii tres Epeorum duces inveniuntur XIII 691, 2:

αὐτὰρ Ἐπειῶν
Φυλείδης τε Μέγης, Ἀμφίων τε Δρακίος τε

---

[25] Quamquam ipse Medo II 716—727 Philoctetae Lemni relicti exercitui praeest. Podarces autem fratris Protesilai turmae II 695—707.

qui non solum Eleis Epeis praesunt sed etiam insularum Echinadum II 625—8:

> οἳ δ' ἐκ Δουλιχίοιο Ἐχινάων θ' ἱεράων
> νήσων, αἳ ναίουσι πέρην ἁλὸς Ἤλιδος ἄντα,
> τῶν αὖθ' ἡγεμόνευε Μέγης ἀτύλαντος Ἄρηι
> Φυλείδης κ. τ. λ.

Summam igitur si facimus rerum in extrema parte opusculi nostri explicatarum, regem habemus, quem consueto more filius sequitur. Sed diis populisve invitis facile fieri potest, ut regnandi potestas ad alium quem fortissimum principem transeat, quia potestatis regiae fundamentum est fortitudo. Neque solum unum regem sed etiam duos consanguineos et plures nullo sanguinis vinculo coniunctos extitisse accepimus. Quos plures saepe uni maiori subditos fuisse probare studuimus, neque tamen negavimus, inveniri plures dignitate nullo modo diiudicata. Quam ob causam restat ut vel concedamus latius regiae potestatis fines patuisse, vel inter principes et reges non multum differentiae intercessisse. In quibus difficultatibus explicandis multi viri docti saepius professi sunt, distare inter se Odysseae reges atque Iliadis. Principes enim plus valere in Odyssea, neque reges vereri eorumque familiam, ut vel ius hereditarium non magni haberent. Inter quos viros doctos Lessmannus in dissertatione citata populo quoque plus in Odyssea tribuit quam in altero carmine his: „Si quid vero populo concedendum est, id potius in Ithacensium Phaeacumque civitatem cadit, quippe quae aliter fuerit constituta et mutata iam rerum publicarum forma ad seriorum temporum rationem propius accedat.“ Non mutatum autem civitatis genus sed reipublicae conditio efficit ut Iliadis rex validior evaserit, quia bellum omnibus temporibus leges graviores, potestatem maiorem praestat, quo Aristotelis quoque dictum spectat *πὰρ γὰρ ἐμοὶ θάνατος*. Neque tamen ipsius Homeri Agamemno verus rex cum historiae factis consentiens est habendus. Etenim rex quem videmus curis et perturbationibus vexatum, subsidiis atque rationibus non multum valentem, qui multa facturus est, pauca efficit, quem nulla fere potestate hi versus demonstrant II 72:

> *ἀλλ' ἄγετ' αἴ κέν πως θωρήξομεν υἷας Ἀχαιῶν κ. τ. λ.*

is quo iure summam imperii sibi vindicare ausus fuerit? (E. Curtius, Gr. Gesch. 1. Bd. p. 123. Schöm. p. 22.) At sine dubio Agamemno-

nis potentia olim latissime patuit, cuius ex nomine gentili insula nomen duxit usque ad nostrum tempus. Pelopidae autem semper magnitudinis causam protulerunt. Fabulae enim antiquissimae atque rerum fama clarissimam stirpem regiam ex Asia ducunt (Preller, Gr. Mythol. II. Aufl. 2 Bd. p. 379, 382, 3.) Thucydides haec I c. 9: *λέγουσι δὲ καὶ οἱ τὰ σαφέστατα Πελοποννησίων μνήμῃ παρὰ τῶν πρότερον δεδεγμένοι Πέλοπά τε πρῶτον πλήθει χρημάτων, ἃ ἦλθεν ἐκ τῆς Ἀσίας ἔχων ἐς ἀνθρώπους ἀπόρους, δύναμιν περιποιησάμενον τὴν ἐπωνυμίαν τῆς χώρας ἐπηλύτην ὄντα ὅμως σχεῖν, καὶ ὕστερον τοῖς ἐκγόνοις ἔτι μείζω ξυνενεχθῆναι.*

Neque minus vasa picta, ex quo tempore Paridem Asiaticum exprimunt, ex eo Pelopem praebent virum iuvenilem pulchrum, Asiaticum. De divitiis autem huiusce familiae regiae non solum Thucydides narrat, sed etiam famae non ignotus est rex *πολυχρύσοιο Μυκήνης* (cf. 3, 305; VII 180; XI 46. Preller, II p. 384, 387 annot. 3 et 4. Curt., Gr. Gesch. I 381.)

Quam ob causam famam veram esse putamus, ex qua Pelopidae principes Phrygiae, cuius terrae religioni magnae deum matris Tantalum coniunctum videmus (E. Curtius, Gr. Gesch. I 77.) sunt habendi, qui Asiam deserentes Pisam Elidensem occupaverunt, postea vero planitiem Argorum cum urbe et arce Mycenis (Curtius a. l.) Cui rei maximum momentum tribuendum est. Thucydides enim narraverat cum magnis divitiis Pelopem ex Asia venisse. Magnae autem divitiae illis temporibus Asiaticos populos Graecorum consanguineos iam eruditiores fuisse quam Graecos germanos probant. Eo non solum divitiae spectant sed etiam ipsae ruinosae Mycenae. Portam enim per quam Agamemno velut triumphans in bellum Troianum est provectus (Gell, Probestücke der Städtemauern des alten Griechenlands Taf. VIII, Erklär. p. 17.) marmore viridi duo leones tuentur. Leones autem Rheae sive Cybelae non solum sancti sunt, sed etiam leones portae custodes Orientis terrarum proprii sunt habendi. Neque minus leonum corpora ob artem statuariam orientis partes profitentur. Assyriorum enim vasa aenea et res caelatae animalia demonstrant corporibus longis, quos quidem leones licet vocare, neque tamen veri sunt, quippe qui non naturam sequantur sed ex consueto more a posterioribus tradito, sint facti. Atque eadem animalia nostri leones sunt. Columna autem — reiicimus enim multorum virorum clarorum doctas columnae interpreta-

tiones — non alia est atque illae quae inveniuntur in sepulcrorum monumentis. Babyloniorum quoque et Assyriorum splendorem ornationis artes imitantur et Agamemnonis thesaurus vestigia parietum aere ardentium usque ad nostrum tempus servavit. (O. Müller, Handb. der Archäol. der Kunst. III. Aufl. §. 49. Lübke, Gesch. der Archit. 3. Aufl. p. 100 ann. 2.)

Neque minus originem Asiaticam columnae, quae in primo aditu sunt inventae, et colore vario et ornatu formarumque mollitie produnt. (Vide apud Lübkeum columnam depictam in pagina citata, cui numerum 64 adscripsit.) Quam ob causam cetera quoque rudera ab Elgino illo loco inventa, optime Phrygiam patriam profiteri credimus, ubi similes sepulcrorum exstructorum frontes nostro quoque tempore exstant. (Ersch und Gruber, Encykl. Bursian, Gesch. der Griech. Plastik p. 393.)

Reges igitur Pelopei, quorum urbs Mycenarum tempore heroico inter Graecos non minus eminebat quam artium florentium aetate ipsae Athenae (E. Curtius, Pelop. II p. 401.) peregrini sunt qui divitiis et artibus patriam eruditiorem (Curt., Gr. Gesch. I 288, 416) fuisse probant. Itaque intelligimus cur hi reges peregrini, quibus Lydorum lingua tyrannorum nomen adscripsit, alia potestate praediti fuisse debuerint. Mycenis enim regem fuisse necesse est divitiis maximis valentem et multis servis, quibus rebus peregrinus princeps eo facilius Graecorum exercituum summus dux existere poterat, quod mores eruditiores non sunt seiungendi a maiore arte militari. Nos autem rebus de Agamemnone explicatis ob eam causam summum momentum tribuimus, quod hi tantum reges alia potestate duos Homeri locos explicant. Menelaus enim Ulixem donaturus est urbe 4, 174—7:

> *καί κέ οἱ Ἄργεϊ νάσσα πόλιν καὶ δώματ' ἔτευξα*
> *ἐξ Ἰθάκης ἀγαγὼν σὺν κτήμασι καὶ τέκεϊ ᾧ*
> *κ. τ. λ.*[26]

Agamemno in Iliade eadem Achilli promittit IX 149, 153—6:

---

[26] Non intelligimus cur Menelaus promiserit quae nunquam sit facturus; in fabularum carmine poeta non omnia movendorum animorum causa fabulari potest — quae leguntur apud Ameis. edit. in pag, 102.

ἕπτα δέ οἱ δώσω εὐναιόμενα πτολίεθρα
κ. τ. λ.
πᾶσαι δ' ἐγγὺς ἁλός, νέαται Πύλου ἠμαθόεντος·
ἐν δ' ἄνδρες ναίουσι πολύρρηνες πολυβοῦται
οἵ κέ ἑ δωτίνῃσιν θεὸν ὥς τιμήσουσιν
καί οἱ ὑπὸ σκήπτρῳ λιπαρὰς τελέουσι θέμιστας.

Quam ob causam Schoemannus dicit fieri potuisse ut ad poetas fama rerum Peloponnesiarum longe aliter constitutarum sit perlata (Schoem. I p. 35.) Ithacenses autem et Phaeaces si mitiores reges praebent, quorum potestas non illo modo latissime patuit, apud quos rex est primus inter pares, si cum regibus nobiles comparamus, nobis verae potestatis regem demonstrant cum historiae fide consentientem. Neque affirmare dubitamus, hanc Ithacensium et Phaeacum regum potestatem quadrare in germanos Graecorum reges omnes, ubi non antiquiores incolae, rudiores illi quidem servi sunt facti (compar. Th. Mommsen, Röm. Gesch. II. Aufl. 1. Bd. S. 70.) aut reges peregrini maiorem potentiam maioremque dignitatem explicaverunt. Quibuscum germanis regibus Graecis optime consentiunt, quae apud Tacitum in Germaniae libro legimus, capite septimo: „Reges ex nobilitate, duces ex virtute sumunt. Nec regibus infinita aut libera potestas, et duces exemplo potius quam imperio, si prompti, si conspicui, si ante aciem agant, admiratione praesunt."

In contionibus autem regis parvam potestatem cognovimus ex capite 11 citato.

Apud Germanos igitur reges fortitudine fere omnia praestant, prudentia, reges qui ex nobilitate prodierunt divitiis et comitum magnitudine insignes (H. Leo, Lehrb. der Gesch. des Mittelalters, 1. Th. p. 33.)

Si consideramus Germanorum civitatem, in qua sunt nobiles et ingenui vel liberi cives (Ioh. Scherr, deutsche Kultur- und Sittengeschichte II. Aufl. p. 38) recordamur Graecorum civitatis. Apud Agamemnonem enim principes in concilio invenimus, qui per se reges suorum populorum in bello Troiano nihil aliud valebant quam Alcinoi principes aut Ithacensium nobiles, qui populi primores sunt, praeter quos alii nobiles multi et liberi vel ingenui semper floruerunt.

Aristoteles autem nobis dixerat heroico tempore reges volentibus civibus exstitisse, Tacitus Germanorum regum creandorum modum tradiderat, apud Romanos penes cives quoque civitatis summa res erat ut

haud dubie apud omnes antiquissimos Indogermanorum populos (Mommsen, Röm. Gesch. I p. 72) quibus perspectis civitatem homericam sic constitutam fuisse putamus.

Reges potestatem non liberam agunt, quam adepti sunt fortitudine belli, in concione facundia, divitiis; nobiles in omnibus fere rebus regem, qui primus est inter pares, aequant; potentia autem populi, cuius in consensu et regem potestas et principum auctoritas nixa, ex verbis oraculi Delphici explicanda est (Lyk. c. VI Plut.) *δάμῳ δὲ τὰν κυρίαν ἦμεν καὶ κράτος.*

APR. 9 1933.

VITA.

Natus sum Iohannes Albertus Erdmundus Veckenstedt in vico Ierichovensi cui nomen est Vehlitz, ubi pater etiam nunc pastoris evangelici munere fungitur. Mater dilectissima anno ineunte diem obiit supremam.

Litterarum elementis imbutus deinceps Parthenopoli, quod vocant Domgymnasium frequentavi, rectoribus Wiggerto, Horkelio, qui vir praeclarissimus praematura morte cessit e vita. In academia Halensi atque Berolinensi scholis interfui philologicis, philosophicis aliis per quattuor annos, nec minus artibus omnibus privatim semper vacui. Viros audivi illustrissimos Bergk, Bernhardy, Leo, Erdmann, Schaller, Conze, Haupt, Mommsen, Muellenhoff, Trendelenburg, Geppert, Friederichs alios. Seminario philologico sodalis addictus fui Halis, archaeologico Berolini, Halis.

Quibus viris omnibus gratias ago quam maximas.

THESES.

I. Apud Pollucem A. 252 ex mea coniectura scribendum est: ἐν ᾧ δὲ ὁ ῥ υ μ ὸ ς ἐνήρμοσται ἔλυμα κ. τ λ

II. In Tacit. Germ. c. XV init. codicum lectionem: quotiens bella non ineunt, n o n multum venatibus, plus per otium transigunt defendo.

III. Apollo cui nos[illegible]ates Belvedere cognomen dederunt, a i g i d a gerit.

IV. Thorwaldsenianae tabulae quae Alexandri pompam exhibet, laus summae artis tribuenda non est.

V. Holbenii Virgo Dresdensis I e s u m p u e r u m in amplexu tenet.

VI. Recte Montesquieu (Considérations sur les causes de la grandeur des Romains c. XI) Il n'y a point d' État qui menace si fort les autres d'une conquête que celui qui est dans les horreurs de la guerre civile.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 046 475 8

0 003 046 475 8